402 2

ALEXANDRI
APHRODISIENSIS IN TERTIVM LIBRVM TOPICORVM ARISTOTELIS COMMENTARII.

Petro Gherardio Burgensi interprete.

Eiusdem Gherardii Adnotationes tùm in margine, tùm in fine Commentariorum adscriptæ.

AD FRANCISCVM MEDICEM FLORENTINORVM AC SENENSIVM PRINCIPEM.





Florentiæ

Apud filios Laurentij Torrentini, & Carolum Pectinarium socium.
MDLXIX.

FRANCISCO MEDICI FLORENTINORVM AC SENENSIVM PRINCIPI

Petrus Gherardius S. D.



IN arte disserendi, quae dialectica dicitur, summam esse vtilitatem, & verbis, & re docuit Aristoteles: nam & illam pluribus libris, in quibus etiam primùm se eius praecepta conscripsisse, nec quicquam ab alijs elegisse gloriatur, accuratissimè est persecutus; & ea duce, cùm in grauissimis & obscurissimis quibusq; quaestionibus versaretur, ad veritatē peruenire conatus est: haec enim cùm in profundo lateat, & eius cognitio multis sit obstructa difficultatibus, nullo alio pacto elici, & tamquā exprimi poterat, nisi vtrimq; quae obstarēt & impedirent, remouerētur, ac de propositis rebus in contrarias partes disputaretur. Plato autem, qui propter ingenij & doctrinae excellentiam commune apud Graecos philosophorum nomen effecit suum, hanc quasi diuinam quandam facultatem est amplexatus, hanc summis semper laudibus extulit: tantumq; illi tribuit, vt in Parmenide adolescentes ad eius vnius studium amantissimè cohortaretur, & illam honestiore nomine, quàm quo à multitudine appellabatur, dignandam esse significaret. Nec verò quemquam dixerim plus studij, quàm illum, ad dialecticorum scientiam adhibuisse: namq; ex eius scriptis, in quibus omnis subtilitas, omnis elucet elegātia, facilè intelligi licet, quàm assiduo labore rationem disserendi excoluerit, & quàm rectè hanc artem quasi lucem attulerit ad ea, quae confusè ab alijs aut interrogabantur, aut respondebantur. Huius vnius ope M. Tullius & infinitam confusamq; legū materiem in certa genera digeri posse putauit, obeamq; caussam Sulpitio primas in iure ciuili libentissimè detulit, quòd is eam sibi artem assumpsisset, qua, quae dispersa in illo ac dissipata erant, coegisset; & oratorem suum tueri locum rectissimè iudicauit. quare Demosthenes, cui sine controuersia summa eloquentiae laus conceditur, hoc etiam praestitisse ceteris oratoribus dicitur, quòd à Platone, quem & studiosè audiuerat, & diligenter lectitauerat, cùm alias philosophiae partes hausisset, tùm etiam disserendi subtilitatem. Haec igitur ars cùm ceterarum artium studia multùm adiuuet: vtilis profectò & honestus labor ab ijs suscipitur, qui Aristotelis Topicorum libros, in quibus illa ratione docetur & via, conterentes, omnia ex ijs & rectè disputandi, & quid in quaque re sit, quod probabile videri possit, iudicandi praecepta delibant: nā cùm eiusmodi disciplina instituti fuerint, ad maiora paratiores accedent. Sed inter ceteros libros, qui de tàm praeclara facultate doctè & eleganter à nobilissimo philo-

sopho scripti sunt, tertius Topicorum liber magnam per gratamq; vtilitatem habet: atq; haud scio, an vllus alius possit cùm crebritate sententiarum, tùm praeceptorum suauitate, & breui quadam verborum elegantia magis lectorem allicere. Quid est enim vtilius, aut quid iucundius, quàm videre & nosse, de duobus bonis vtrum maius bonum magisq; expetendum sit, & de duobus malis vtrùm maius malum magisq; fugiendum, vel vtrum vt leuius magis eligendum? his enim de rebus, aut de alijs huiusmodi, incredibile est quàm saepe cùm in omni philosophia, tùm in oratoria facultate incidat quaestio & disceptatio: praesertim cum haec in genere caussarum deliberationis versatur, ad quod pertractandum tota ferè in rerum contentionibus & comparationibus occupata est. At in hoc libro, dum exponit locos Aristoteles, è quibus ad eiusmodi quaestiones explicandas argumenta ducantur, ita praeclarè se gerit, ita cumulatè suum munus absoluit, vt, cùm in alijs scriptionibus ceteros semper omnes superarit, in hac etiam ipsum à sese superari dicendum sit. Sed cùm hic liber per se valde sit pulcher, & ad studiosos bonarum artium homines inuitandos satis idoneus: tum verò pulchritudinis acquirit plurimum, & ad capiendos deliniendosq; animos voluptate redditur aptior, dum eum doctissimis & politissimis Alexandri Aphrodisiensis commentarijs illustratum habemus. quis enim, qui bus animi dotibus, quibus ingenij doctrinaeq; ornamentis abundauerit, qui deniq; interpres, quantusq; fuerit Alexander, ignorat? Vtinam quàm certo scimus multa ab illo in Aristotelis reconditioris doctrinae libros fuisse scripta, tàm fideliter ea nobis superiorum temporũ inscitia custodisset. Hic sine dubio ita perfecti interpretis munere functus est, vt, cùm ad exempla, quibus propositorum locorum vsus pateret, excogitanda acutissimus, & ad auctoris sententias inuestigandas sagacissimus, ad easdemq; explicandas et ornandas vberrimus fuerit, nihil in eo liceat desiderari. Multa ex probatissimis scriptoribus, quae ad locorum declarationem facerent, excerpsit, & excellentissima quaeque libauit, sed tecto plerumq; illorum nomine: multa per se ipse inuenit; tantumq; diligentia & ingenij bonitate valuisse perspicitur, vt, vtra tamen magis enituerit, non facile sit iudicare. Huius ego interpretis & singularem doctrinam, & exquisitam elegantiam cùm essem aliquando admiratus; superioreq; aestate, à grauissimis philosophiae & medicinae studijs exclusus, Aristotelis Topica regustarem ac recognoscerẽ: cepi ad hunc tertium librum relapsus, quae Graeco ille sermone tractauerat, ea Latinis litteris animi caussa mandare; & quae dudum ipse ex bonis scriptoribus ex alijsq; Aristotelis libris in hunc adnotaueram, colligere, & suis quaque locis collocare. Id autem eo consilio feci, vt adolescentes, si quando in eorum manus haec scholia peruenirent, quomodo propositis locis vtendum sit, intelligerent, & ad imitationem accenderentur. Neq; verò animum ad Alexandri commentarios interpretandos adieci, quòd existimarem posse me eos è Graecis bonis Latinos facere non malos, aut quòd sperarem illos mea opera conuersos, et aliquando in lucem prolatos, nonnihil gloriae mihi apud homines comparaturos: quid enim ingenio, quid scientia valeam, mihi ipse sum conscius: praeterquàm quod non ignoro, hominem adolescentem, qui parùm ob aetatis infirmitatem in grauissimorum auctorum lectione versatus sit, nihil quicquam egregium, nihil magnope

re laudandum posse expromere. Sed cùm viderem politissimum scriptorem ob ineptæ cuiusdam tralationis culpam in sordibus atq; illuuie iacere; quæ quidem res & illorum intelligentiæ, qui græcæ linguæ ignari libros latinè scriptos peruolutare coguntur, mirumimmodum officiebat: vtrorumq; vicem dolens, non ab re fore putaui, si, quæ græcè ab illo tradita erant, ea de integro in latinum sermonem conuerterem, ac, si fieri posset, aliquo orationis nitore explicarem. Rem itaq; suscepi: sed eam postea tantam esse cognoui, vt non solùm perficiundi spe destituerer, sed etiam experiundi voluntatis me pœniteret. Ea enim est Latinorum verborum inopia, præsertim quibus Peripateticam philosophiam explicemus, vt, qui antea & Aristotelis & Alexandri sententias non horridioribus vocibus exprimere instituissem, idem postea, re tentata, in malorum interpretum consuetudinem delaberer. Accedebat eòdem, quòd, cùm ab illa in singulis ferè verbis reddendis religione discedere, ne res obscurior fieret, néue latinæ orationis cultu destituta sordesceret; nimiã autem interpretandi licentiam ac libertatem cauere vellem, vt ne aliud genus loquendi, quàm quod commentarijs conueniat, effingerem, & interdum etiam ab ipsa sententia longè aberrarem, inter maximas difficultates constituebar. Hæc cùm ab instituto me deterrerent, tamen veritus reprehensionem eorum, qui me hoc opus aggressum esse intellexerant, malui illud, quoquomodo possem, absoluere, & desiderari ab alijs scientiam meam, quàm, si id non fecissem, industriam: nam si non omnis laudis perfectio, at conatus tamen, atq; adumbratio apparebit. in eo enim certè elaboraui, vt & Græcorum auctorum sentẽtias fideliter redderem, et genus orationis planum atq; expeditum adhiberem: quæ si omni ex parte assecutus non fuero, ea fortasse à nonnullis ætati meæ condonabuntur. Hos autem primos ingenij mei fœtus, vtinã tàm felices quàm laboriosos, tibi optime Princeps dicaui, vt, cùm ij per se essent obscuri, tui nominis splendore illustrarentur. Quamquam cum diligentius mecum considero, non video cui magis debeat hæc tenuis lucubratio nostra consecrari, quàm tibi: ea enim sunt in me tua, tuiq; omnibus laudandis rebus præcellentissimi patris in omnes meos beneficia, vt, quicquid à me præstari potest, id tibi tuo iure vendices. Quàm enim non grauatè, cùm præstantissimorum virorum, Lælij Taurellij, & Antonij Melioris, commendatione fortasse de me nonnulla commotus esses, me in illorum adolescentium numerum aggregasti, quorum studia Pisis antiquissimo litterarum domicilio tua summa benignitate fouentur ac sustentantur! Quàm liberaliter pater tuus, quo est erga bonos viros amore incredibili, Aloysium Gherardium, & alios propinquos meos, qui vestræ honestissimæ familiæ inseruierunt, fideliterq; operam nauarunt suam, tractauit, & amplissimis præmijs affecit! Hoc igitur paruum opusculum, quod eorum, quæ ego hoc tempore efficere & nauare possum, maximum est, & eò etiam libenter à me lucubratum, quia desiderio flagrarem non dico referendæ tibi gratiæ (quì enim hoc assequi licet, præsertim cùm tu nullum aliud liberalitatis tuæ præmium, nisi communem bonorum beneuolentiam, expectes?) sed pietatis testificandæ erga te meæ, ita accipias rogo, vt, quid virtuti, quid amplitudini tuæ debeatur, non attendas, sed quid à iuuene, præsertim aliarum quoq; artium studijs dedito, præstari posit, diligenter cogites.

Erit autem humanitatis tuæ, quæ aliena etiam complecti & tueri soles, hoc qualecumq; est, quod domi tuæ natū, & ope antiquissimi codicis, qui in nobili maiorum tuorum bibliotheca, tamquam Minerua Phidiæ, diligenter seruatur, magna ex parte perfectum ad te defero, ita ab iniurijs defendere, vt ad alia præstantiora, quæ tuo munitus præsidio instituam, fiam alacrior. Vale, Florentiæ IIII. id. Octobris CIↃ IↃ L X I X.

FLAMINIVS NOBILIVS LECTORIBVS S. D.



VOD Themistoclem dicere solitum memoriæ proditum est, Milciadis sese trophæis è somno excitari, id Petro Gherardio optimo atq; eruditissimo iuueni planè accidit. Versabantur illi assiduè ob os atq; oculos præclari ciues sui, Remigius Melioratus, qui non multos ab hinc annos obiit, philosophus insignis, in dialecticis verò ætatis suæ facilè princeps, Christophorus Rufus, & Bernardinus Petrellius, qui bono publico viuunt, quorumq; opera in Aristotelis sententiis explicandis ita probatur, vt eorum alterius nomen apud doctos homines magno in honore sit, Petrellius verò Patauii, id est in nobilissimo gymnasio Logicam facultatem nō mediocri cum laude profiteatur. Quamobrem istorum gloria incensus, vt patria quemq; exempla magis quodammodo mouent, in isdē studiis studium sibi suum locandum duxit: breuiq; ita profecit, vt æqualium suorum concedat nemini, multis etiam natu maioribus sit præferendus. Est sanè, cur ingenio plurimùm debeat, quo acerrimo splēdidissimoq; vtitur: verùm ita certauit industria, labore, diligentia, vt naturæ bonitas minimam sibi in eo partem vendicare videatur. Latinis & Græcis litteris magnopere studuit, bonorum auctorum libros sæpe relegit, egregios in optimis artibus viros, quibus ipse mirificam præstare pietatem consueuit, quoscumq; adire potuit, accuratissimè audiuit. His ille & naturæ & diligentiæ adiumentis probè instructus, cùm aliquando inter nos de Topicis Aristoteleis sermo ortus esset, facultatisq; illius vtilitatem valde commendaremus; nec verò, quin Alexandri commentariis multum illi facultati accessionis factum esset, dubitaremus; sed doleremus vicem illorū, quos aut Græci codicis frequentissimis mendis perturbari, aut Latino nō tàm conuerso, quàm euerso vtentes in desperationem propè adigi necesse esset: occasionem sibi oblatam putauit, qua & optimos illos ciues suos imitandi, & de hominibus benè merendi voluntatem testaretur suā. Itaq; interpretis longè optimi scripta in quattuor primos Topicorum libros, quæ verè Alexandri sunt (nam reliqua ab illius eruditione & subtilitate longè absunt) & corrigenda tùm veterum codicum inspectione, præcipuè verò Medicæi, qui integritate ceteris præstans in magnificentissima illius familiæ bibliotheca fideliter custoditur, tùm similium locorum collatione, & de integro in Latinum sermonem cō

uertenda suscepit; eamq; in conuertendo adhibuit moderationem, vt nec orationis impuræ sordibus sententiæ ipsæ vilescerent, nec nimia castitate obscurarentur. Verba seruiũt rebus: sed ita seruiunt, vt suam quasi dignitatem, splendoremq; retineant. Nec verò nobis dumtaxat Alexandrum reddidit, sed propemodum geminauit, dum copiosissimis scholiis Alexandri sensa patefacit, locosq; ab eo tractatos rursus tractat, nouisq; tùm à Græcis, tùm à Latinis scriptoribus acceptis exẽplis illustrat. Quo in munere obeundo multa se à Petro Victorio summo & singulari viro sumpsisse non negat, à quo bonos omnes libentissimè videt sumere. Ceterùm cùm tertius liber, siue casu quodam, siue rerum, quæ in eo tractantur, pulchritudine animum ipsius magis ad se trahente, minus ei, quàm ceteri libri, rudis, minusq; impolitus videretur: statuit hunc solum in præsenti edere, quò studiosorum iudicium eliceret; ac si placere intelligat, alacriter in reliquos expoliendos incumbat; sin minus, hac nõ maxima iactura doctus inani labore supersedeat. Ego verò humanissimi lectores pro mea in vos vobis fortasse non ignota charitate vehementer vos hortor, vt hunc librum accuratè legatis: spondeo enim vobis, in meq; recipio fore, vt temporis in eo legendo positi numquam vos pœniteat. Valete.

INDEX LOCORVM OMNIVM COMPARATIONIS, QVI IN HOC TERTIO LIBRO TOPICORVM AB ARISTOTELE EXPONVNTVR.

Quæstiones συγκριτικῶς de iis faciendę sunt, quæ propinqua & finitima esse videntur, non de iis, quæ longè interse distant, & magnum ac minimè dubium discrimen habent.

1 *A Diuturniore tempore. Locus verus est, si, quæ comparantur, æqualia inter se sint: idest, neq; alterum sit alterius caussa, neq; continens & complectens alterum.*

2 *A stabiliore natura. Hi duo loci commemorati valent etiam ad confirmandum τὸ φευκτότερον, & id quod deterius est.*

3 *A iudicio præstantiorum, aut omnium, aut pluriũ: sed illud omnino verum est, hoc autem probabile. In hoc loco una tantùm spectatur persona, isq; ad nostram vtilitatẽ tractandus est.*

4 *A præstantiore facultate. ἁπλῶς αἱρετώτερον, οὐ τινὶ.*

5 *Ab eo, quod sit in illa re, ex qua fit comparatio, vt in genere.*

6 *Ab eo, quod sua vi & propter se expetendum est.*

7 *Ab eo, quod per se, non ex euentu sit expetendum.*

8 *Ab eo, quod rei expetendæ sit caussa per se. Valet etiã hic locus ad confirmandũ τὸ φευκτότερον.*

9 *Ab eo, quod simpliciter & absolutè sit expetendũ. Idem est hic locus cum VII. loco, vt Alexander censet.*

10 *Ab insitis & innatis bonis.*

11 *Ab eo, quod præstantiori naturæ conuenit. Hic duæ res inter se diuersæ considerantur, quibus separatim aliquod expetendum conueniat: neq; idem est hic locus cum III. Requiritur autem, vt quæ inter se conferuntur, homini expetenti euenire possint, si accipiamus. τὸ αἱρετώτερον τινὶ, καὶ οὐ τὸ ἁπλῶς, quemadmodum videtur accipere Aristoteles.*

12 *Ab eo, quod præstantioris naturæ proprium sit. Præstantior natura, & deterior, quæ inter se cõparantur, eiusdem generis sint necesse est.*

13 *A meliore, aut priore, aut maiori honore digna quasi materia, quæ subijcitur.*

14 *A fine. Hic angustior est, quàm VI. locus.*

15 *Ab eo, quod propius abest à fine.*

16 *Ab eo, quod ad perfectißimum & absolutißimũ finem refertur. Hic locus vi & facultate idem est cũ proximo superiore, vt Alex. existimat.*

17 *Ab eo, quod fieri poßit. αἱρετώτερον τινὶ, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς.*

18 *A fine meliore. Hic postulatur, vt efficientia æquè à suis finibus distent.*

19 *A proportione in dignoscenda exuperantia alterius efficientis ad alterum finem.*

20 *Ab eo, quod propter se sit honestius, aut maiore honore dignum, aut laudabilius.*

21 *A consequentibus bonis, vel malis, siue tempore et verè, siue natura. Hic locus ad nostram vtilitatem tractandus est: valet autẽ & ad ostendendum τὸ φευκτότερον.*

22 *A maiore copia & numero bonorum: si scilicet panciora bona in numero plurium includantur; ex pluribusq; nullum contineat alterum, nec sit illius gratia.*

23 *A coniunctione alicuius præstantis boni cum eo, quod nõ sit bonum. Hic δυνάμει τὸ αἱρετώτερον intelligitur.*

24 *A coniunctione boni cum voluptate, aut cum indolentia. Hic res inter se diuersæ nõ comparantur, sed vnius rei cum eadem fit collatio.*

25 *A tempore magis opportuno.*

26 *Ab vtilitate, quæ omni tempore, aut pluribus tẽporib. adsit.*

27 *A possessione alterius, quæ tollit indigentiam alterius.*

28 *Ab interitu, iactura, & contrarijs: nisi videlicet ex ijs, quæ comparantur, alterum contineat secumq; trahat alterum.*

29 *A procreatione, & adeptione. Hi duo loci commemorati valent etiam ad ostendendum τὸ φευκτότερον καὶ χεῖρον.*

30 *A propinquiore similitudine cum bono.*

31 *Ab eo, quod similius est excellentiori, non in re tenui et nullius momenti, nec quà illud non est excellens & præstans.*

32 *Ab eo, quod æquè, nec in re tenui, simile est ex duobus præstantiori. Hic quattuor res considerantur, cùm in superiore tres tantùm.*

33 *A præclariore & illustriore.*

34 A laboriosiore & difficiliore.
35 Ab eo, quod sit magis proprium.
36 A minore cum malis admixtione.
37 A meliore genere, vel specie simpliciter, ad ὑπο-δεέστερον, quod est in illo genere vel specie.
38 A reciprocatione superioris loci.
39 Ab ijs, quæ cum amicis communicare licet.
40 Ab ijs, quæ in amicos præstare malumus.
41 Ab ijs quæ sunt ornamento. hic cum eo, quod melius est & præstantius, aliquando coniungitur τὸ αἱρετώτερον τινὶ, aliquando nō coniungitur: semper autē id, quod est αἱρετώτερον ἁπλῶς.
42 Ab iis, quæ aliunde acquiri non possunt.
43 Ab optione alterius, quæ non requirit optionem alterius.
44 Ab eo, quod per alterius negationē in nobis esse videri volumus.
45 A minore reprehensione, qua in eos vtimur, qui alicuius boni iacturam dolent & molestè ferunt.
46 A reciprocatione superioris loci.
47 A propria cuiusque rei virtute, & perfecta in se natura, cum illa quæ comparantur, in eadem specie reponuntur: quòd si vtrumque propria virtute præditum est, à perfectiore.
48 Ab efficientibus ea quibus adsunt, bona, cuiusmodi & ipsa sunt.
49 A magis efficientibus.
50 Ab efficientibus præstantiora & illustriora subiecta bona.
51 A casibus & coniugatis, vsibus, actionibus, & operibus, ad ea, quorum sunt: & ἀνάπαλιν.
52 Ab eo, quod maiore bono sit magis bonum.
53 Ab eo, quod vno & eodem sit longè optabilius.
54 A rei perfecta & ad summum perducta natura.
55 Ab eo, quod magis optaret quis sua opera adipisci quàm aliorum auxilio. hic locus, si consideres, idem non est cum xxxxii.
56 Ab eo, quod eidem rei adpositum, totum optabilius reddit. hic tres inter se diuersæ naturæ spectātur: oportet autem, vt quæ comparantur & adponuntur, eodem modo se habeant ad id, cui fit adpositio. valet etiam hic locus ad ostendendum τὸ φευκτότερον.
57 Ab eo, quod minori adiunctum, totum maius bonum reddit. hic quattuor naturæ diuersæ considerantur.
58 Ab eius detractione, quod id, quod restat, minus bonum efficit. hic tres naturæ diuersæ animaduertuntur.
59 Ab eo, quod propter se & ad ueritatem, non autem ad aliorum opinionem expetitur.
60 Ab eo, quod et propter se, & ad opinionem expetitur. Vtilis etiam est hic locus ad ostendendum τὸ φευκτότερον.
61 Ab eo, quod magis propter se in honore est, & colitur.
62 A diuisione notionum eius, quod dicimus esse expetendum, nonnullis conditionibus in hoc loco seruatis.
63 Ab eo, quod melioris rei gratia fit. hic locus idē uidetur esse cum xviii.
64 A minore impedimento rerum expetendarum.
65 Ab eo, quod sit tantummodo expetendum.

Tot sunt loci comparationis, qui in certa ac peculiari materia, vtpote tractabiliore & utiliore, ab Aristot. exponuntur. Nonnulli uerò ex iis qui traditi sunt, communiores generalioresque effici possunt, si paullum, dum pronunciantur, immutentur. Iidemque omnes ad omnes συγκριτικὰς quæstiones accommodantur, uariata & permutata collationis forma.

ALEXANDRI APHRODISIENSIS IN TERTIVM LIBRVM TOPICORVM ARISTOTELIS COMMENTARII.

Petro Gherardio è Burgo Sancti Sepulchri Interprete.



CVM in secundo libro locos ad accidens pertinentes exposuerit, quorum ope vel aliquid alicui simpliciter accidere, probare liceat; vel contra refellendo ostendere, nō accidere id, quod accidere dictum sit: in hoc tertio locos exponit, è quibus, cum de quæstionibus quæ comparatè ponuntur, disceptamus, possimus argumenta depromere ad ostendendum, aliquid magis vel minus alicui conuenire. Sed & hi loci ad accidens referūtur, quemadmodū ipsemet in primo libro testatus est, vbi quęstiones oēs quæ cōparatè proponuntur, in eorū numero habendas esse voluit, quæ ad accidens pertinent: nam cum de accidente locutus esset, addidit, Accidenti autem rerum inter se comparationes[a] attribuātur, quomodocunq; ab accidente ducantur. Præterea, constat cōparationem in solis accidentibus fieri: accidens enim duntaxat potest magis & minus alicui conuenire. Nam genus non potest ex ijs, quibus proximè conuenit, vni magis, alteri autem minus conuenire; nec item proprium, nec definitio: accidens autem, quòd est extra substantiam & naturam rei cui accidit, potest idem alicui vel aliquibus magis & minus tribui; & aliud magis vel minus quàm aliud alicui cōuenire, quippe cum aliqua ex parte conueniat. ¶Quæstionib. autem ex cōparatione, omnis philosophiæ est[b] sylua subiecta: fiunt enim in morali, quia illæ, inquibus, vtrum magis sit expetendum, quæritur, ad moralem pertinent, cùm res expetendæ ad actionem atq; ad moralem philosophiā referantur: fiunt & in naturali, quandoquidem illæ, inquibus non nullæ res naturales inter se cōparantur, ad naturalem spectant: vt cum quæritur, sit ne maior luna, an terra; & sit ne præstantior sensus, an scientia; & sit ne simplicior motus is qui fit in orbem, an qui rectà. Præterea & in Logica non nulla comparatè quæruntur: exēpli gratia, sit ne magis apta ad faciēdam fidem inductio, an syllogismus; & vter prior sit syllogismus, categoricus, an hypotheticus; & vtra figura prior, vel prętantior. Quid? in alijs quoque scientijs & artibus non nulla inuenire licet, quæ in contentionem vocantur: est enim quæstio musica, si quæratur, sit ne acutior cōcentus Lydius, an Phrygius. quin etiam si diceretur, versuū pulchriorem esse heroicum, id in musicis quæstionibus numerari posset. Præterea quęstio hæc ex comparatione, in qua disseritur, sit ne magis expetenda curatio per sectiones, an per medicamenta, materiam habet ad medicinam pertinentem. Materia igitur quæstionum quæ comparatè proponuntur, ex omni ferè scientia & arte su-

a προσοικειῶσθαι. sic enī & M. Tull. lib. II. de inuent. His igitur duabus rebus duæ res grandes sunt attributæ, necessitudo, & affectio.

b Sumptum ex M. Tullio cum in III. lib. de orat. inquit. quo in genere quid rectum faciendū que sit, quæritur: cui loco omnis, virtutum & vitiorum est sylua subiecta.

mitur. ¶ Categoriæ autem, in quibus sunt quæ ex comparatione quæruntur, nouem esse videntur: nam in sola substantia non videntur locum habere quæstiones ex comparatione: comparatio enim fit ab accidenti, substantia autem nulli accidit. Omnis igitur comparatio sub illo genere continetur, quod ad aliquid dicitur: ea verò ex quibus fit comparatio, modò sunt qualitas, vt cum de quibusdam quęritur, vtrum sit candidius, aut calidius, aut leuius, aut magis musicũ, aut aliud quidpiam eiusmodi: modò quantitas, vt cum disputatur, sit ne maior luna an terra (quæstio enim hæc fit ex quantitate) modò id quod ad aliud refertur, vt si quęratur, sit ne magis scientia geometria, an musica; & sit ne magis sensus tactus, an auditus. Ex loco autem fit quęstio, cũ differitur, in vtro magis sit positus animæ principatus, in [c] corde an in cerebro: ex tempore, cum quæritur, sit ne magis expetendum nauigare æquinoctio verno, an æstate: ex effectione, cum inquiritur, magis ne medeatur qui præcidit, an qui præbet medicaměta: ex perpessione, vt, sit ne magis aptum ad perpetiendum corpus, an animus: ex eo quod dicitur habere, vt, animalia, an plantę magis habeant animam: ex situ, si quæratur, sol, an luna propius ad terram accedat. Sed videtur etiam ex substantia fieri comparatio, vt cum quærimus, sit ne magis substantia prima, an secunda.

[c] Quæstio inter Aristo. & Galenum.

Illa autem quorum fit comparatio, aliquando duo sunt, quæ in vno accidente interse comparantur, vt cum quæritur, valetudo, an diuitiæ magis expetendæ sint; ambo enim hæc in eo, quod est expetendum, interse comparantur: aliquando autem plura cum pluribus in aliqua re, quę illis communis sit, inter se conferuntur; vt cum quæritur, sit ne magis expetenda prudentia cum diuitiis copulata, an valetudo cum temperantia. Sed potest etiam vnum cum pluribus comparari, vt si quis inquirat, sit ne magis expetenda prudentia sola, an valetudo cum diuitiis iuncta. Fit autem et vnius rei cum eadem re in duobus accidentibus cõparatio; vt si differatur, maioremne vim habeat ad agendum, an ad [a] cognoscendum prudentia. Præterea, si duo quędam simul sumantur, ea in duobus accidentibus inter se cõferri possunt, hoc modo; vt si quispiam quęrat, maioremne vim habeat ad agendum, an ad cognoscendum prudentia cum sapientia copulata. Sed etiam duo de duobus separatim inquiri possunt; exempli gratia, maioremne vim habeat ad agendum prudentia, an ad cognoscendum sapientia. item duo in pluribus accidentibus inter se comparare licet; verbi causa, prudentia, an sapientia maiorem & ad agendum & ad cognoscendum vim habeat. Ac de materia quidem quæstionum ex comparatione, de categoriis in quibus illę versantur, & quot modis quæ comparantur, ea interse comparentur atque in contentionem vocẽtur, satis dictũ est.

[a] θεωρητικωτέρα. sic reposui, cum antea legeretur ἠθικωτέρα: hæc enim vox, si consideres, idem ferè valet ac πρακτικωτέρα, cùm ἤθη in actione sint posita. adde, quòd vox θεωρητικωτέρα cõtraria est illi πρακτικωτέρα.

¶ Sed quęrendũ est, cur huic libro, in quo de iis quæ ad cõparationẽ pertinent, agit, non omnes locos comparationis reseruarit, sed nõnullos etiam in proximo superiore exposuerit: loci namque comparationis erãt tùm qui à maiore, tùm qui à pari sumebantur, nec non alter ex iis, qui facta additione aliquid probant, ostendens illud simpliciter dici, quod magis vel minus quàm aliud dicitur.

Dubitatio.

An non est eius in hoc libro consilium, de locis comparationis agere, sed de quęstionibus seu disceptationibus ex comparatione. quęstiones autem ex cõparatione sunt eę, in quibus quod quæritur quodq; ostenditur, cum aliqua re comparatur: de quibus omnibus rebus ipse in hoc libro disputat, quomodo scilicet huiusmodi quęstiones tùm probari, tùm etiam refelli queant. Loci autem comparationis, quibus in superiore libro vsus est, non aliquid comparatè, id est magis vel minus alicui conuenire, sed simpliciter tantùm conuenire vel non conuenire ostendebant. idem verò non est, ex locis comparationis, aliquid

Solutio.

aliquid simpliciter conuenire, demonstrare, & aliquid comparatè conuenire, colligere: de [a] qua quidem re in hoc tertio differit. Quæstiones autem ex cõparatione, vel locos comparationis, exemplo eius, quod dicimus esse expetendum, nobis exponit, propterea quòd illorum tractatio quæ in aliqua certa ac peculiari materia fieret, clarior atque dilucidior futura erat: illud verò quod magis expetẽdum esse dicitur, vsurpauit, quia plurimę in philosophia quæstiones ex eo fiunt. adde, quòd longe [b] vtilius est intelligere, & iudicare, quid sit magis expetendum, quàm quid sit maius, aut calidius, aut horum simile. prętere a plurimis cùm argumentationibus, tùm etiam locis ad illud explicandũ niti possumus. Sed tamen post locorum expositionẽ in eo, quod dicimus esse magis expetendum, factã, ipse admonebit, locos iam traditos ad omnes etiã alias quęstiones excomparatione vtiles esse, non autem ad vnum tantùm illarum genus.

[a] περὶ οὗ, non περὶ ὧν legendum esse videtur.

[b] καὶ χρησιμωτέρα ἡ γνῶσις. sic legendum est, non χρησιμωτάτη.

Πότερον δὲ αἱρετώτερον ἢ βέλτιον δυοῖν ἢ πλειόνων, ἐκ τῶνδε σκεπτέον. πρῶτον δὲ διορίσθω, ὅτι τὴν σκέψιν ποιούμεθα, οὐχ ὑπὲρ τῶν πολὺ διεστώτων, καὶ μεγάλην πρὸς ἄλληλα διαφορὰν ἐχόντων. οὐδεὶς γὰρ ἀπορεῖ, πότερον εὐδαιμονία ἢ ὁ πλοῦτος αἱρετώτερον, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῶν σύνεγγυς, καὶ περὶ ὧν διαμφισβητοῦμεν, πρὸς πότερον δεῖ προσθέσθαι μᾶλλον, διὰ τὸ μηδεμίαν ὁρᾶν τοῦ ἑτέρου πρὸς ἕτερον ὑπεροχήν. δῆλον οὖν ἐπὶ τούτων, ὅτι δειχθείσης ὑπεροχῆς μιᾶς ἢ πλειόνων, συγκαταθήσεται ἡ διάνοια, ὅτι τοῦτό ἐστιν αἱρετώτερον, ὁπότερον τυγχάνει αὐτῶν ὑπερέχον.

Vtrum autem de duobus vel pluribus, magis sit expetendũ, aut sit melius, ex his perspiciendum est. Primùm verò illud exponatur, nos de iis non considerare, quæ multùm distant, quæque magnum inter se discrimen habent; si quidem nemo dubitat, beatitudo, an diuitiæ magis expetendæ sint: sed de iis, quæ sunt sibi propinqua, & de quibus ambigimus, vtri potius adhærere oporteat, quòd, quid alterum alteri præstet, non videmus. Perspicuum igitur est, animũ, cum ostenderimus in quo aliud alii præstet, siue id vnum sit, siue plura, conquieturum, idque quod præstiterit, magis expetendum esse dicturum.

1 VOCES illæ, magis expetendum, & melius, non ita accipiendę sunt, quasi idem significent: nam melius latius patet, quàm magis expetẽdum; magis enim expetendum in rebus expetendis tantùm dicitur, melius autem in aliis præterea. Quippe quæstio de rebus, vtra sit melior, & in iis quæ intelligentia comprehendũtur, & in physicis, & in logicis locum habet: nam is qui quærit, sitne melior substantia immobilis, an quæ mouetur, physicam quæstionem tractat: qui autem inquirit, sit ne melior inductio, an syllogismus, logicam quæstionẽ proponit. De duobus autem vel pluribus, ideò dixit, quia, vt antea docuimus, quęstio excomparatione aliquando duo in vno accidente inter se confert: aliquando plura cum pluribus, aut vnum in pluribus accidẽtibus, aut plura in pluribus. Vnius autem rei non fit comparatio, nisi ex tempore; vt cum quærimus, quo tempore aliquid sit candidius, nunc, an prius. An hic etiam fortasse duo quodammodo illa euadunt, de quibus est quæstio: temporis nanque additione discrimen inter se accipiunt: quippe idem aliud atque aliud fit diuersis tempo-

ribus additis. Ac quæstiones quidem ex comparatione, in his, & horum, atque ex his fiunt. ¶ Antequàm verò ad locos exponendos aggrediatur, primùm describit, quo pacto se habere debeant quæ inter se comparantur, & ad quas quęstiones ex comparatione, locis tradendis vtendum sit: ita enim & ipsorum vsus declaratur. Ea igitur (inquit) quæ multùm inter se distant, quæque magnū & minimè dubium inter se discrimen habent, non sunt in comparationem vocanda, quòd huiusmodi rerum differentia omnibus ante oculos ponitur, nec digna est de qua quæstio fiat. Idcircò enim nemo ambigit, beatitudo, an diuitiæ magis expetendæ sint, non quòd ambo non sint expetenda, sed quòd beatitudo nimis apertè & manifestò in eo, quod dicimus esse expetendū, diuitiis præstat: quam etiam ob causam nec, si alicui argumentorum copia suppetat ad ostēdendum diuitias aliqua ex parte præstare beatitudini, is fidem faciet & rem propositam confirmabit. Illorum autem faciendam esse comparationem tradit, quæ sibi propinqua sunt ac finitima, & de quibus dubitamus atque ambigimus, quòd, quid alterum alteri præstet, non satis constat. Huiusmodi sunt, sanitas, & bona corporis habitudo, cernere & audire, vita rerum contemplationi dedita, & illa quę in actione versatur. In his enim quæ aliquam inter se affinitatem habent, ob eamque causam digna sunt quę in quęstionem vocentur, cum explicuerimus in quo aliud alii præstet, siue id vnū sit, siue plura: statim animus quasi errans & vagus, ob ea quæ ostensa erunt, acquiescet, quòd scilicet alterum alteri antecellit in eo quod sit expetendum, aut in aliquo alio, ex quo fiebat quæstio, & ex quo argumentatio conclusa est. ¶ Vt autem in primo libro, vbi de internoscendis differentiis ac de obseruandis similitudinibus agebat, præcepit in iis faciundum esse delectum, quæ inquisitionem & inuestigationem merentur: inuestigantur autem, differentiæ quidem in iis quę sunt sibi affinia (quid enim intersit inter δαίμονα, a idest lares, & deum, quæsierit quispiam, non quid inter deum et lapidem; item quid inter lupum & canem, non quid inter canem & equum; & quid inter continentiam ac temperantiam, non quid inter continentiam ac sapientiam) similitudines autem in iis quę longo interuallo inter se disiuncta sunt (nam quid similitudinis sit homini cum equo, non quid homini cum homine, inuestigauerit aliquis) ita nunc quęstiones ex comparatione, de iis quærere docet, in quibus, quid præstet, obscurè intelligitur: &, si quis vel minimam pręstantiam indicabit, ei fides habenda est. ¶ Quoniam verò quęstiones ex comparatione, non solùm id postulant, vt in iis aliquid alicui simpliciter conueniat, sed etiam vt quædam exuperantia adsit, eius quod præstat, ex quo fit comparatio, ad id quod superatur: idcircò argumentationes quoque & loci non hoc solùm præstare debent, vt aliquid alicui simpliciter conuenire ostendant, verùm etiam vt fidem faciant, vnum præstare, alterum autem superari. Neque enim qui aliquid bonum esse ostendit, iam & magis expetendum esse probauit, nisi præterea probet, hoc magis quàm illud, cum quo comparatur, esse bonū.

a Sic vertit hanc vocē Cicero in lib. de vniuersitate.

Πρῶτον μὲν οὖν ᵇ τὸ πολυχρονιώτερον ἢ βεβαιότερον, αἱρετώτερον τοῦ ἧττον τοιούτου.

b Codex Abbat. Florent. addit hic verbum φασί.

Primùm igitur quod est diuturnius aut stabilius, magis expetendum est eo, quod sit minus tale.

a Primum locum, qui sumitur ab eo, quod sit diuturnius aut stabilius, exponit: cuius ope ostendemus aliud alio magis expetendum esse. Eorum igitur, quæ

in aliis videntur interse conuenire, si alterum ostendatur diuturnius aut stabilius altero, illud erit optabilius.[Cæterùm nõnulla sunt, in quibus hæc inter se discrepare videantur: nã aliud alio potest esse stabilius, quod eo tamẽ sit minus diuturnũ, veluti sciẽtia sensu: sensus enim est diuturnior, uel dicas tu lõgiquior, cùm vel à primo ortu sentiamus: sciẽtia autẽ cõparatur quidem adulta iam ęta te, sed tamen est stabilior & cõstantior, atq; ægrius labefactari potest quàm sensus. Hanc igitur ob causam locus hic, prout nobis inseruiet, erit tractandus.

¶ Eo nobis vtentibus, gloriam optabiliorem esse diuitiis, probare licet: nam cùm ambo sint optabilia, gloria quidem post mortem etiam remanet, nemo autem, si iam è vita migrauerit, est diues.[At [a] enim gloria, tametsi illã diuturniore esse quàm virtutem aut beatitudinem constat, non est tamen iis optabilior, quòd virtus & beatitudo manifestò glorię antecellunt. [b] Verùm si gloria virtutis est comes, virtus idcircò erit gloria optabilior, quòd illa in causa est, cur gloria cõparetur.[[c] Eodem autem modo doceri posset, sanitatem optabiliorem esse bona corporis habitudine, quod tamen verum non est. [d] An illud etiam cauendum est, ne diuturnius contineatur in eo, quod sit minus diuturnũ: nam si ità se habuerint, tum quod est breuius ac minus diuturnum, magis expetendum euadit, quia & illud quod est diuturnius, cum quo [e] cõparabatur, in se habet, & extrinsecus acquirit additamentum rei cuiusdam expetendæ. Talis est bona corporis habitudo, quæ nec absque sanitate fit, & præter sanitatem habet aliud quiddam expetendum. [f] Vbi igitur aliquid expetendum adiungitur, id quod est posterius, magis expetendum est, licet sit breuius ac minus diuturnum: Vbi verò alterum est alterius causa, id quod est primum, magis expetendum est, quàmuis breuiori tempore duret. Quamobrem ratione diuturnioris temporis, sanitas: aliis autem quibusdam de causis, bona corporis habitudo magis expetenda est. ¶ Quod si à stabiliore argumentemur, scientiam sana recta quę opinione magis [g] eligendam demonstrabimus, cum ambæ res sint eligendæ: Virtutem bona fortuna, Quod arte fit, eo quod casu factum est, Quod consilio gestum, eo quod inconsultò & temere rectè factum erit, Necessariũ eo quod euenit, si ambo sint eligenda, Quod situm in nobis est, eo quod in aliis (atque ita recta consultatio magis eligenda est quàm opinio, quòd illa sita in nobis sit, hæc non sit: ob quam causam illa est stabilior, hæc incertior & magis fluxa) Vitã doctrinæ studiis & sapientiæ deditã, ea quę in actione versatur; plura n. sunt quę uitã in actione versantẽ turbare solent: ex quo[h] sequitur, vt ea sit minus certa & firma. Ob hanc eandẽ causam vita mediocriũ hominũ magis eligenda est, quàm vita eorum, qui in excelso loco sunt constituti: vnde illud

[i] *Multa bona in medijs, vitam mediocris in vrbe:*

testimonio quoque huic rei est illud Euripidis,

[l] *Te ô senex laudo & fortunatum duco,*
Illum item hominem, qui sine periculo
Vitam traducit ignobilis atque inglorius:
Eos autem, qui sunt in honoribus, minus fortunatos duco.

Diuturnior etiã est memoria quàm sensus, & cognatus quàm amicus. ¶ Ex hoc eodẽ loco possumus argumẽta depromere, quibus cõfirmemus aliud alio magis fugiẽdũ esse. Igitur ex iis quæ sunt fugiẽda, illud quod est diuturnius, magis fugiẽdũ est, vt infamia paupertate: Itẽ quod est stabilius, eo quod sit minus tale, vt indigentia effusione, illiberalitas desidia; difficilè enim [m] mutãtur illiberales. Hanc eandem ob causam magis declinanda est timiditas intemperantia: nam intemperantia de-

[a] *Occurritur loco.*
[b] *Responsio.*
[c] *Occurritur.*
[d] *Responsio.*
[e] *συνεκρίνετο. sic habet cod. Medic. non συνεκρίνεται, vt est in excusis.*
[f] *Locum Aristotelis uerum esse, si res, quæ comparãtur, æquales inter se fuerint, id. neque altera alterius causa, neque continens & complectens alteram.*
[g] *Hanc quoque uocem, & illã, pluris æstimandã vsurpauimus, ut αἱρετώτερον exprimeremus, Ciceronis auctoritate freti lib. v. de Fini. cũ inquit. quid n. interest expetas, an eligas, &c.*
[h] *διὸ καὶ ἀσφαλέστερον. sic legẽdum esse videtur, nõ δὲ ἀσφαλέστερον.*
[i] *Vers. Phocylidis, qui et ab Aristot. in IIII. lib. πολιτικῶν c. xi. citatur.*
[l] *Sunt autem hi uersus apud Euripidem Iphigenia in Aulide paulo post initium. Cũ enim senex Agamemn. fidelissimus vidisset illũ silente nocte solũ extra tentoriũ ambulantem, miratur rei nouitatẽ, & hortatur vt intra tectũ se referat: cui Agamem. sic respõdet. ζηλῶ σε γέρον, ζηλῶ δ' ἀνδρῶν, &c. qui uersus ita à M. T. in III. Tuscula. exprimuntur. Nec siletur illud potẽtissimi rẽgis anapæstũ, qui laudat senẽ, et fortunatũ*

esse dicit, quòd inglorius sit atque ignobilis ad supremũ diem peruẽturus. Sed uidetur Cicero apud Euripidem sic legisse: ὃς ἀκίνδυνον βίον ἔξει πέρας ἀγνὼς: nonnulli verò legunt, ὃς ἀκίνδυνον βίον ἔξει πέρας ἀγνώς: quæ lectio mihi magis arridet.

m De hac re copiosè & subtiliter disputat Aristot. lib. IIII. Ethic. ad Nicom. cap. I.

florescente corpore conquiescit, quòd tunc sedentur appetitus, quibus intemperantia excitatur: timiditas autem progrediente ætate semper augescit. Ita etiam potest aliquis ratione concludere, vitiositatem esse maius malũ magisq; fugiendum, quàm aduersam fortunam.

ADNOTATIONES.

Primùm igitur quod est diuturnius] *Hunc eundem locum paulo copiosius & apertius exposuit Aristoteles in primo libro de arte dicendi: vbi, cum ageret de collatione bonorum inter se, locos enumerauit, è quibus argumenta promi possint ad confirmandum, quidpiam esse maius bonum magisque conducere, quàm aliud. Eius verba sunt hæc.* καὶ τὰ πολυχρονιώτερα τῶν ὀλιγοχρονιωτέρων· καὶ τὰ βεβαιότερα τῶν μὴ βεβαιοτέρων. ὑπερέχει γὰρ ἡ χρῆσις, τῶν μὲν, τῷ χρόνῳ: τῶν δὲ, τῇ βουλήσει. ὅταν γὰρ βούλωνται, ὑπάρχει μᾶλλον ἡ τοῦ βεβαίου. *id est* [*Itẽ longinquiora breuioribus: & stabiliora minus stabilibus, quòd utrorũ q; vsus præstat: lõginquiorũ quidẽ, tẽpore; firmiorũ autẽ, volũtate: nã cum volumus, magis præstò est vsus rei stabilis.*] *Sed etiam M. Tullius in suis Topicis, quà loquitur de locis cõparationis, eundem sic tradidit.* Diuturniora bona anteponẽda breuioribus: *& paulo infra:* Stabilia incertis. *Complures autẽ cõparationis locos, qui in hoc III. lib. Topicorum expositi sunt, Aristoteles, vt notum est, in primum librum de arte dicendi transtulit: dialectica enim quàmplurimas argumentandi rationes rhetoricæ impertit: atque idcirco hæc illius nunc μόριον, nunc ὁμοίωμα, nunc παραφυὴς ab Aristotele vocatur. Quam obrem mihi decretum est, similes inter se locos, quàm diligẽtissimè potero, adnotare: puto enim me ex hac collatione aliquid vtilitatis studiosis adolescentibus allaturum, aut illos saltem eo onere leuaturum, quod in huiusmodi locis obseruandis sustinerent, præsertim ij, quibus Græcæ linguæ cognitio deest.*

Primùm igitur quod est diuturnius, aut stabilius] *Eloquentiæ pater Isocrates in illa eleganti oratione, quæ parænesis ad Demonicum inscribitur, hac eadem ratione virtutẽ pulchritudini præstare docuit: virtutis enim (inquit) possessio caduca non est, nec incerta, sed in quorum animis illa syncerè vnà cum ætate accreuerit, sola consenescit: pulchritudo autem vel senio cõsumitur, vel morbo deflorescit. Græca auctoris verba sunt hæc:* ἀρετῆς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον, οὐδὲ βεβαιότερόν ἐστι. κάλλος μὲν γὰρ, ἢ χρόνος ἀνάλωσεν, ἢ νόσος ἐμάρανε. ἡ δὲ τῆς ἀρετῆς κτῆσις, οἷς ἂν ἀκιβδήλως ταῖς διανοίαις συναυξηθῇ, μόνη συγγηράσκει. *quam sententiam ita uidetur M. Tullius in IIII. oratione contra Antonium expressisse.* Quanquã omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vlla vi labefactari potest, nunquam dimoueri loco. *Item Sallu. in Catil.* Nam diuitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara æternaque habetur.

l Sic & auctor ad Herenn. lib. IIII. Forma dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur.

Καὶ ὃ μᾶλλον ἂν ἕλοιτο ὁ φρόνιμος, ἢ ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ, ἢ ὁ νόμος ὁ ὀρθὸς, ἢ οἱ σπουδαῖοι περὶ ἕκαστα αἱρούμενοι ᾗ τοιοῦτοί εἰσιν, ἢ οἱ ἐν ἑκάστῳ γένει ἐπιστήμονες: ἢ ὅσα οἱ πλείους, ἢ οἱ πάντες, οἷον ἐν ἰατρικῇ ἢ τεκτονικῇ, ἃ οἱ πλείους τῶν ἰατρῶν, ἢ οἱ πάντες: ἢ ὅσα ὅλως οἱ πλείους, ἢ πάντες, ἢ πάντα, οἷον τ' ἀγαθόν. πάντα γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεται. δεῖ δὲ ἄγειν πρὸς ὅ, τι ἂν ᾖ χρήσιμον τὸ ῥηθησόμενον.

Deinde quod prudens anteponat, aut vir bonus, aut recta lex, aut quod probant ii qui in aliqua re excellunt, quà tales sunt, vel qui in quoque genere scientes sunt: & quæ aut plures, aut omnes, vt in medicina siue ædificandi arte, quæ plures medici probant, aut omnes: & quæ omnino uel plures, uel omnes, uel omnia, cuiusmodi est summum bonum. [a] Omnia enim summũ bonum

a Hoc idem scriptũ est initio. I. lib. Ethi. ad Nicom. et X. eiusdẽ operis.

bonum appetunt. Illud autem quod commemorabitur, ad id, ad quod utile fuerit, referendum est.

3 Secundum locum ad confirmandum id, quod sit magis eligendum, tradit: qui sumitur ab electione & iudicio præstantiorum. [b] Illud ergo, quod præstantiora eligunt & probant, magis eligendum & probandum est. Præstant autem prudentes non prudentibus, boni viri minus bonis, recta lex non rectæ: & (vt vno verbo dicam) qui in aliqua re excellũt, probãtes eam quà tales sunt, digniores sunt quibus fides habeatur, quàm qui in eadem re minus excellunt. Artifices exempli causa, in iis quę ad illorum artes pertinent, prętant eis, qui artium sunt imperiti: tumque adeò magis, si omnes, qui in eadem arte uersantur, sibi & mente & voce consentiant. Verisimile autem & illud est, ea quę probantur omnibus aut plerisque eorum, qui eandem artem tractant, magis eligenda iis esse, quæ non omnibus probantur. Quamobrem ex iis quæ ad artem attinent, illud, quod omnes aut plerique artifices probant, magis eligendum est iis, quæ homines illius artis rudes & ignari sequuntur, aut etiam pauciores ex iis, qui eandem artem profitentur. Sic etiam in omni re, quod videtur omnibus aut plurimis, magis eligendum est: nam quæ videntur omnibus, magis eligenda sunt, quàm quæ non omnibus; similiter quæ pluribus, quàm quæ paucioribus. [Prudens verò, aut vir bonus, non ideò dixit, quòd hi idem valeant: neq; enim prudens æquè patet ac bonus, sed latius se fundit bonus, & ad plures pertinet. etenim prudens est quidem bonus, non tamen solus, quòd & fortis & temperans sit bonus. Idem igitur est ac si dixisset, prudens, aut omninò vir bonus: omnis enim vir bonus, ne dum prudens, dignior est dum aliquid laudat, cui fides habeatur, quàm qui minus est talis. Potest verò etiam eum intellexisse prudentem, qui virtute, quæ ad rationem spectat, sit prædītus: bonum autem illum, qui moralem habeat. siquidem eos propriè consueuit appellare bonos, qui moralibus virtutibus exculti sunt, sicut contrà prudentes illos, qui virtutes in ratione & intelligentia positas habent: homines enim his virtutibus magis redduntur idonei ad agendum quæ honesta sunt, quòd prudentia ad iudicandum valeat, virtutes autem morales ad agendum. ¶ [c] Illud igitur magis sumendum ac eligendum est, vt bonos viros aliis anteferamus, quia videlicet prudentes ita sentiant & iudicent. Quin etiam ob eandem causam communia præferenda sunt propriis: cõmune enim ciuitates connectit, cùm proprium dissipet, vt [d] Plato inquit, & vt Thucydides, Qui in suis rebus prospera æquabiliq; fortunª vtitur, cadente patria cadit etiam ipse: at qui miseriis & calamitatibus premitur, in fortunata patria multò facilius subleuatur. [Magis [e] autem expetendum est beneficium dare, quàm accipere, propterea quòd bonis viris illud magis probatur. similiterque accipere [f] quàm facere præstat iniuriam, quòd scilicet boni viri illud magis probant. Quinetiam ob eandem causam præstat honestè mori, quàm turpiter seruari: itemq; laborare paupertate iustè agendo, quàm iniustè faciendo copiis atque opibus abundare. ¶ [g] Præterea, quia nõ omnis lex est recta, sed tamen nonnullę vt rectæ laudantur, quales sunt leges Lycurgi, Zaleuci, & Solonis: cum aliquid eorum, quæ legibus sancita sint, in cõtrouersiã aut disceptationem vocatur; illud quod rectis legibus sancitur, magis expetendum esse dicendum est. [h] Quamuis autem rectę leges prudenter sint constitutę, non tamen quod iudicat prudens, [i] & quod recta lege decerni tur, idem esse censendum est. Siquidem quod legibus statuitur, certum ac defi-

[b] δ' καὶ τοῖς βελτίοσιν αἱρετὸν, αἱρετώτερον. Ita legẽdũ est in Græco codi. vt nemo nõ videt.

[c] Exempla sumpta à iudicio prudentium.

[d] IX. lib. de Legibus.

[e] Ab opinione bonorũ virorum.

[f] Hac de re accuratè disserit Arist. in extremo v. lib. Ethi. ad Ni. Senteñtiam autem hanc cũ plerisque ĩ locis usurpet M. Tullius, tùm verò maximè in xi. Philippica, cũ inquit. Miserior igitur qui suscipit in se scelus, quã is qui alterius facinus subire cogitur. q̃ sanè sententia Socratis fuit apud Platonem in Gorgia.

[g] Ab eo, quod probat recta lex.

[h] Solutio dubitationis.

[i] καὶ ὃ ὁ ὀρθὸς νόμος. Ita hunc locum emẽdauimus sententia ipsa nos adhortante.

nitú est, eæque de certis ac definitis rebus loquútur: prudentis auté cōsilium, ad tépora, ad status, ad casusq; accōmodatur, in diuersisq; rebus aliud atq; aliud est. Hac igitur ratione [l] sodalitates, quæ in ciuitatibus solent institui, magis expetēdas esse cōfirmabimus, quòd videlicet rectę leges eas cōstituerūt. Eadē quoque de causa præstat dominari illos [m] qui virtute excellunt, quàm eos qui præpollent opibus. [Atqui potest etiam in hoc habere locum alicuius probi viri iudicium, dum censet non id, quod in legibus scriptum est, attendendū esse: sed animum eius, qui scripserit, spectandum, & videndum quid ille faceret, si esset superstes, & ex recta ratione ac lege, non ex suis scriptis iudicaret, quòd aliæ causę subessent, cur ea non omnino rectè se haberent. ¶ [n] Pluris prętерea ęstimanda sunt, in bello quidem quę cōprobant ii, qui rei militaris scientia excellunt: vt seruare ordinem nec ex acie egredi, obtemperare imperatori, habere ante oculos illud,

[o] *Optimum id auspicium est, patriæ curare salutem:* illud item Vlissis,

[p] *Permixtum imperium multorum, haud optima res est:*

Vnus sit rex cunctorum, vnusque induperator: in Republ. autem quæ laudātur ab iis, qui benè Remp. administrant. Atque hanc ob causam præstat non anteferre vtilibus ea, quæ grata & iucunda sint multitudini, quia videlicet hoc magis laudatur ab iis, qui optimè dicuntur Rempub. gubernare. Postremò in artibus illa ducenda sunt potiora, quæ aut omnibus, aut plerisque ex artificibus videntur. [Addidit autem, *quà tales sunt*, propterea quòd de iis, quę ad medicinam attinent, medicis & eorum decretis assentiendum est: de iis autem, quæ ad musicam, opinioni musicorum. Si enim alioquin, qui musicæ cognitione antecellunt, aliquid dicant de iis, quæ medicinę sunt propria: hoc profectò quà musici sunt, non affirmabunt. Eademque ratio est, si qui præstantes medici de bellicis rebus loquantur. [Ac illud quidem potius & optabilius esse in vnaquaque arte, quod omnibus illius artis magistris probatur, per se tanquā verum cōstat: sed, quæ pluribus probantur, ea potiora esse & optabiliora, probabile quidem est, non tamen verum. Sępè enim accidit, vt vnius viri in aliqua arte præstātis iudicium & existimatio, multò melior sit, quàm aliorum omnium sententia: ex quo efficitur, vt in his ad vtramque partem liceat argumentari: tùm enim ab opinione plurium, tùm à iudicio præstantioris. ¶ [q] Non solùm autem in iis quæ ad artes attinent, potiora magisque expetenda sunt illa, quę omnibus aut plerisque ex artificibus probantur: sed etiam in vniuersum doceri potest, ea, quæ ab omnibus hominibus aut magna illorum parte probantur & expetuntur, magis expetenda iis esse, quæ non ab omnibus. Qua ratione demonstrabimus, præstare esse, quàm addiscere aut scire, quòd videlicet omnes esse expetant, addiscere autem vel scire nō omnes: Item, voluptatibus frui, quàm exerceri. Quamobrem Plato, cùm hoc tanquā probabili vteretur, summum bonum illud dicebat esse, quod omnia desiderant atque appetunt. Pręterea [r] Eudoxus eò voluptatem maximum bonum esse confirmabat, quòd omnes animantes illam expeterent & consectarentur, cùm tamen nullum aliud bonum ita communiter ab omnibus expetatur. Hanc etiā ob causam valetudo existimationi pręstat, quia nimirum omnes homines benè valere cupiunt, existimationem autem nō omnes appetunt. Plerique etiā omnes magis quærunt diuitias, quàm existimationē: ex quo concludi potest, existimationi pręstare diuitias. Eadem quoq; de causa præstat habere artes, quàm non habere. ¶ Singulis autē iis, quæ exposita sunt, vtendum est (inquit) nobis ad id, ad quod conducent: neque enim omnia ad omnia

sunt

[l] *συσσιτία. huc pertinet quod scribit M. Tull. in Catone maiore. Sodalitates autem me Quæstore cōstitutæ sūt, sacris Idæis magnæ matris acceptis. Item in orat. pro Planc. Lex Licinia quæ est de sodalitiis. Sed τῶν συσσιτίων regnū pōt appellari dominiū: nam & dominus dicitur conuiuij exhibitor, unde domini ad cōuiuia, quēadmodū testatur Nonius in voce, Dominus. meminit autem τῶν συσσιτίων Plato lib. I. de Legibus. Sed de cōstitutione τῶν συσσιτίων præclarè disputat Arist. in VII. libr. Polit. cap. X.*

[m] *Idcirco Plato (vt refert Cicero in epist. I ad Q. F.) tum denique fore beatas Resp putauit, si aut docti et sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerēt, omne suum studiū in doctrina ac sapientia collocassent.*

[n] *A sententia illorum qui ī aliqua re excellūt.*

[o] *XII. libr. Iliadis.*

[o] *Ad hanc sententiā respexit Cicero in Cato. maio. cū inquit, Optimis auspicijs ea geri, quæ pro reip. salute gererentur: &c. versum autem Homeri citat idem in epist. III. lib. II. ad Atti.*

[p] *II. lib. Iliadis.*

[q] *Idcirco Arist. addidit illa verba [et quæ omninò vel plures vel omnes.]*

[r] *De hac Eudoxi sentētia meminit Arist. primo lib. Ethi. ad Nico. c. 12. & X. eiusdem operis cap 2.*

sunt accommodata. Voluptatem exempli causa pręstare virtuti, & virtutẽ voluptati, iisdem rationibus concludi non potest. quinimò si voluptatis causam tueri velimus, omnium aut plurium opinione nobis vtendum est: sin virtutis, iudicio optimorum.

ADNOTATIONES.

Deinde quod prudens anteponat] *Non ita quidẽ copiosè hic idẽ locus traditus est in I. lib. Rhetor. vbi Arist. inquit.* καὶ ὃ κρίνειαν ἂν ἢ κεκρίκασιν οἱ φρόνιμοι, ἢ πάντες ἢ οἱ πολλοὶ ἢ οἱ πλείους, ἢ οἱ κράτιστοι ἀγαθὸν ἢ μεῖζον, ἀνάγκη οὕτως ἔχειν, ἢ ἁπλῶς, ἢ ᾗ κατὰ τὴν φρόνησιν ἔκριναν: *etc. idest, [Item quod à prudentibus, omnibus, uel multis, uel pluribus, vel ijs qui plurimùm prudentia valent, iudicaretur aut iudicatum esset bonum vel maius bonum: necesse est ita se habere, siue simpliciter, siue ex ea arte, cuius periti sunt, ij iudicassent.] Sed tamẽ ipse paulò infrà, locum, qui sumitur à iudicio & approbatione omnium seu plurium in singulis rebus, separatim exponit, cum ait.* καὶ ὃ πάντες αἱροῦνται, τοῦ μὴ ὃ πάντες: καὶ ὃ οἱ πλείους, ἢ ὃ ἐλάττους. ἀγαθὸν δὲ ἦν οὗ πάντες ἐφίενται, ὥστε καὶ μεῖζον, οὗ μᾶλλον. *hoc est [Quod cũcti praeterea expetũt, quã quod nõ cũcti: quodque plures, quàm quod pauciores: illud enim est bonum, quod omnes appetunt. quare id maius bonum erit, quod magis omnes appetunt.] M. Tullius autem ita uidetur hunc locum in suis Topicis adumbrasse.* Quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata, *scilicet anteponenda sunt.*

Illud autem, quod commemorabitur] δεῖ δὲ ἄγειν πρὸς ὅ, τι ἂν ᾖ χρήσιμον τὸ ἐνθυμούμενον. *Hæc huius loci sententia est, quam confirmat etiam Alexander. Id, quod narrabitur, referendum & accommodandum est ad nostram vtilitatem. argumentum exempli causa ductum ex opinione omnium seu plurium, accommodare debemus ad id ostendendum, voluptatem praestare virtuti: argumentum autem sumptum à iudicio intelligentium, ad confirmandum contrarium. Ad nostram igitur vtilitatem nobis tractandus est hic locus: modòque vulgi sententia ad propositum nostrum confirmandum assumenda, modò iudicium praestantiorum vsurpandum: neque enim omnia omnibus cõcludi possunt. Siquidem, virtutem antecellere voluptati, praestantiorum opinione demonstramus: voluptatem autem anteire virtuti, omnium seu plurium consensu & intelligentia. ¶ Pugnare autẽ inter se opiniones vulgi, & sententias intelligentium, ut id quod lege, & id quod natura cõstat, docet Aristo. in libro de Sophisticis Elechis cap. XII. eius verba latinè expressa non me piget adscribere. [Compellendus est autem aduersarius ad ea, de quibus sapientes & vulgus inter se dissentiunt: ita tamen, vt si quid dicat de sententia sapientum, ad vulgi opinionem; sin quod vulgus probat, ad sapientum sententias opinionesque reuocetur. Aiunt enim hi, beatum necessariò esse iustum: multitudini autem non probatur, regem non esse beatum. Colligere autem quæ hoc modo nõ probantur, & contra aliorum opinionem sunt, idem valet atque efficit, quod ad legis & naturæ repugnantiam reuocare. Nam & lex vulgi est opinio, & sapientes naturæ conuenienter vereque loquũtur.] Sed M. Tullius in libro de Claris oratoribus copiosè atque eleganter docet, non semper sapientis iudicium à iudicio vulgi discrepare: siquidem in oratore probando, aut improbando idem sentit vulgus, quod intelligens, neque vnquã in hoc doctis hominibus cum populo dissensio fuit. Verba ipsius sunt hæc.* Hic Atticus, quomodo istud dicis, inquit, cùm tuo iudicio, tùm omnium? semperne in oratore probando, aut improbando vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit? An alii probantur multitudine, alii autem ab iis, qui intelligunt? Rectè requiris inquam Attice: sed audies ex me fortasse, quod non omnes probent: *& quæ sequuntur.*

ἔστι δὲ ἁπλῶς μὲν βέλτιον καὶ αἱρετώτερον, τὸ κατὰ τὴν βελτίω ἐπιστήμην [οἷον αἱ βελτίων ἐπιστήμη φιλοσοφία τεκτονικῆς, καὶ ἁπλῶς αἱρετώτερα τὰ κατὰ φιλοσοφίαν τῶν κατὰ τεκτονικὴν] τινὶ δὲ, τὸ κατὰ τὴν οἰκείαν.

Verba hæc quæ inclusa sunt, in fidelioribus codicibus manuscriptis nõ habentur, ut mihi affirmauit Victorius: ac fortasse è glossemate aliquo in omnes iam excusos irrepserunt. Sed præter auctoritatem tanti viri, ego quoque rem ita se habere perspexi in codice vetustissimo, qui seruatur in Abbatia Florentiæ.

Illud autem simpliciter est melius & optabilius, quod meliore scientia cõtinetur [vt si philosophia melior scientia sit quàm architectura, & illa quæ philosophia continentur, erunt simpliciter optabiliora, quàm quæ ab architectura tractantur] cuique verò illud est optabilius, quod propria cõtinetur scientia.

4 Cùm de eo, quod sit magis expetendum, sermonem habuisset; illud autem, quod magis expetendum est, idem omnibus non sit: hoc etiam declarat, & inquit, alia quidem simpliciter & absolutè magis expetenda esse, alia verò quibusdam. Ac illa quidem simpliciter & absolutè magis expetenda sunt, quæ melioribus & præstantioribus scientiis continentur. Exempli gratia, si philosophia præstantior scientia sit, quàm architectura: & illa, quæ philosophia cõtinentur, erunt simpliciter præstantiora & optabiliora, quàm quę ab architectura tractantur. Architecto autem magis expetenda sunt architecturæ opera & instrumenta, quàm quæ philosophiæ subiiciuntur: & is, cui architectura opus est, omnibus rebus anteponit id, quod architecto videtur. [Sed [a] possumus etiã hoc, quod traditum est, pro loco accipere, ad diiudicandum id, quod sit simpliciter magis expetendum.

[a] Melior Interpretatio.

ADNOTATIONES.

Illud autem simpliciter est melius] *Nisi fallor, hic idem locus, paulò tamen dissimilibus verbis, exponitur in primo libro Rhetoricorum, hunc in modũ.* καὶ ὧν αἱ ἐπιστῆμαι καλλίους, ἢ σπουδαιότεραι, καὶ τὰ πράγματα καλλίω καὶ σπουδαιότερα. ὡς γὰρ ἔχει ἡ ἐπιστήμη, καὶ τὸ ἀληθές. κελεύει δὲ τὸ αὐτῆς ἑκάστη. *idest,* quorũ item scientiæ pulchriores maioreq; studio dignæ sũt, & res ipsę pulchriores maioreq; studio dignæ erunt; vt. n. sciẽtia se habet, ita et verũ: singulæ autẽ stratũ suum exponunt uel præcipiũt. *Ab exuperantia ergo scientiarum, rerum, quæ ab illis tractantur, exuperantiam cognosci docet. Sed multò melius à rerum, quæ scientijs continentur illisque substernuntur, excellentia, earum excellentia intelligitur, si accuratè consideres. Astrologia namque syderum præstantia, quæ illi proposita sunt ad contemplandum, vincit omninò geometriã quæ in dimetienda terra est occupata, eaque longè præclarior atque altior scientia est: cùm alioquin ab eadem superaretur, quòd minus certas & exquisitas rationes afferret. Eodemque modo scientia rerum superiorum, & earum, quas à natura occultatas & latentes sola ratio indagare potest, omnes alias scientias pulchritudine subiectæ materiæ anteire dicitur, licet probabilibus tantùm, non certis ac necessariis rationibus ad aliquid confirmandum nitatur. Idcirco Aristoteles initio primi libri de Animo, cognitionẽ animi in alto cognitionum gradu collocandam esse existimauit, cùm propter demonstrationum subtilitatẽ, tùm vel maximè ob strati splendorem & amplitudinẽ. [Et sanè, cùm hæ duæ causæ sint, quibus scientia altera alteri præstat, subiectæ materiæ dignitas potior causa censeri debet, quàm certa & firma demonstrandi ratio: quod hoc pacto declaramus. In vnaquaque scientia duo sunt, obiectum scilicet, vt ita loquar, in quo versatur, & ratio demonstrandi: scientia enim est habitus ad rem demonstrandã idoneus, vt VI. lib. de Moribus ad Nicom. traditum est. Obiectum est finis & forma animi: demonstratio autẽ est quasi vinculũ, quo isthæc forma aut validiùs, aut infirmiùs cũ animo coniungitur. Melius autẽ est nobiliorẽ formã leuiùs cõiungi, quã ignobiliorem vali-*

validiùs. Id declarauit Aristot. primo lib. de Partibus animalium cap. V. exemplo earũ mulierum quæ amantur: quarum exiguam partem quasi per transennam strictim aspicere iucundius est, quàm alia multa et magna accuratè peruidere ac contemplari. [Illud præterea diligenter attendendum est, non idem esse dictu, nobilior scientia, & magis scientia: prout differt res naturalis nobilior, & res magis naturalis. Nam mens nostra est res minus naturalis quàm ceteræ, quo minus conueniens cum materia, & tamen omnibus nobilior. Ergo quoniam scientia maximè spectat modum demonstrandi, ex quo scire est rem per demonstrationem cognoscere: illa erit magis scientia, in qua magis demonstratur. Hinc Aristot. loco indicato, conferens cognitionem rerum cælestium cum rerum inferiorum cognitione, dicebat hãc sibi uendicare τὴν τῆς ἐπιστήμης ὑπεροχήν, *hoc est scientiæ præstantiam, & scientiæ nomine digniorem esse, quòd scilicet in ea magis demonstraretur: sed adhuc tamen illa vocabatur iucundior & honoratior, quoniam rei nobilissimæ & honoratissimæ est. Ergo magis scientiam facit, maior subtilitas demõstrandi: nobiliorẽ & iucundiorem scientiam, rei cognitæ nobilitas. Sic si interrogeris, quis magis vidisset, an ille qui vno aspectu & præteriens rem amatam, an qui accuratè & assidens aliud esset intuitus, hunc sine dubio responderes: contrà autem, si esses interrogatus, quis iucũdiùs vidisset. [Sed, vt eò reuocetur, vnde huc declinauit oratio: cũ hæc quæ explicuimus, à veritate fortasse non absint, & tota hæc res ab Aristot. etiam animaduerteretur, ipse in primo libro de arte dicendi locum commemoratum retrorsum agi ac reciprocari ostendit: inquit enim.* καὶ τῶν σπουδαιοτέρων δὲ καὶ καλλιόνων αἱ ἐπιστῆμαι, ἀνάλογον διὰ ταῦτα. id est, & rerum pulchriorum meliorumque scientiæ, eandem proportionem habent. *Non possum autem dissimulare, Flaminium Nobilium amantissimum præceptorem meum, qui ob exquisitam doctrinam & summam dicendi copiam non vnus è multis, sed potiùs inter multos propè singularis est philosophus, cum illi hanc loci è libro Rhetoricorum* θεωρίαν *ostendissem, nõ solùm eam probasse, sed etiam ornasse, & suis purissimis fontibus hortulos meos irrigasse.*

Ἔπειτα δὲ τὸ ὅπερ τόδε, τὸ μὴ ἐν γένει, οἷον ἡ δικαιοσύνη τοῦ δικαίου. τὸ μὲν γὰρ ἐν γένει τῷ ἀγαθῷ, τὸ δὲ οὔ· καὶ τὸ μὲν, ὅπερ ἀγαθὸν, τὸ δὲ οὔ. οὐδὲν γὰρ λέγεται ὅπερ τὸ γένος, ὃ μὴ τυγχάνει ἐν τῷ γένει ὄν· οἷον ὁ λευκὸς ἄνθρωπος οὐκ ἔστιν ὅπερ χρῶμα. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Præterea, quod propriè est aliquid, eo quod non sit in genere: vt iustitia iusto. Alterum enim est in genere bono, alterũ autem non est; & alterum propriè est bonum, alterũ minimè: propterea quòd nihil dicitur propriè genus, quod nõ sit in genere: exempli gratia, homo albus non est propriè color. Similiter & in aliis se res habet.

5 Hæc vox ὅπερ, apud Aristotelem significat κυρίως, idest propriè: & cui apponitur particula ὅπερ, illud propriè esse indicat: exempli causa, ὅπερ [a] homo idem significat, ac propriè homo; & ὅπερ ens, propriè ens; & ὅπερ bonũ, propriè bonũ. Eorũ igitur q̃ de alio dicũtur, cui adiicitur particula ὅπερ, hoc propriè de illo dici, & subiectũ propriè esse tũ in hoc, tũ etiã hoc, significat. Itaq; quoniã genera de iis quæ sub ipsis ponũtur, propriè dicuntur, cùm essentialiter (vt inquiunt) dicantur: ἐν τῷ ὅπερ ea dici censentur, & quæ generibus subiiciũtur, [b] ὅπερ αὐτὰ εἶναι inquit Aristoteles. Color exempli gratia, de candore ἐν τῷ ὅπερ dicitur, & candor est ὅπερ χρῶμα, hoc est propriè color: item, animal ἐν τῷ ὅπερ de homine, & homo est ὅπερ ζῶον, idest propriè animal. [Quamobrem

a Hæc loquendi forma sæpè vsus est Arist. præsertim autẽ I. lib. Physi. vbi sententiam Parmenidis confutauit.

b Hæc verba addidimus, quæ, vt Alex. sententia clamat, manifestò in Græco cod. deficiebant.

cùm ea quæ dicuntur, de aliis quidem vt genera dicantur, de aliis autem vt accidentia; color enim de candido colore vt genus dicitur, de candido autem corpore vt accidens: locum quendam ab hoc nobis tradit, cuius ope, quid magis expetendum sit, dignoſcemus. Quare ſi ex iis quæ inter ſe comparamus, alterũ ſit in eo, ex quo fit comparatio, exempli cauſa in eo quod dicimus eſſe expetendum & bonum, vt in genere; alterum autem illud habeat vt accidens: quod in illo eſt vt in ſuo genere, magis expetendum eſt. Nam quod eſt in bono vt in genere, ὅπερ bonum ſit & ὅπερ expetendum, quod propriè ſignificat: quod autẽ in eo non eſt vt in genere, ſed illud vt accidens habet, non eſt propriè expetendum, nec ſimiliter bonum. Ergo ſi, quod propriè eſt expetendum, magis expetendum eſt quàm id, quod non propriè: & illud, quod eſt in bono tanquam in genere, magis expetendum erit quàm id, quod habet quidem bonum, vt hoc de illo dicitur, non tamen vt genus. Abſolutè enim, ex iis quę in aliqua re inter ſe comparantur, illud quod eſt in eo, ex quo fit comparatio, tanquã in genere, magis idipſum eſt, quàm id, quod non ita in eo ſit, ſed illud vt accidens habeat. Illud verbi gratia magis eſt quantum, de quo quantum vt genus dicitur, quàm id quod ex accidẽte ſit quantum: vt ſuperficies magis quàm album. Item, illud magis eſt quale, de quo qualitas vt genus dicitur, quàm id de quo veluti accidens: vt albedo magis eſt color, quàm corpus album. ¶ Breuiter autem, cum dixit, *quod propriè eſt aliquid, eo quod non ſit in genere*, illis verbis, *eo quod non ſit in genere*, hunc locum expoſuit. [Cum dixit, *iuſto*, intellexit hominem, non id quod accipitur vt habitus: ſiquidem hoc, perinde ac iuſtitia, in bono eſt tanquã in genere. ¶ Ope verò huius loci demonſtrabimus, iuſtitiam, & vnãquãque virtutem magis expetendam magiſque bonum eſſe, quàm illos, qui virtutes poſsident, nimirum magis quàm virum iuſtum, aut temperantem, aut fortem. Vnaquæque enim virtus in virtute reponitur, & (quemadmodum ipſe ait, qui nunc bonum pro genere communiter accipit) in bono, tanquam in genere; ex quo ſequitur, vt vnaquæque virtus ſit ὅπερ virtus & ὅπερ bonum, hoc eſt propriè virtus & propriè bonum: nemo autem qui virtutem habeat, in virtute aut in bono reponitur, tanquam in genere. etenim vir iuſtus, nec eſt ὅπερ virtus, nec ὅπερ bonum: ſed bonum eſt, quia accidit, vt ipſe habuerit virtutem & bonum. ¶ Illud autem, *propterea quòd nihil dicitur propriè genus, quod nõ ſit in genere*, idem valet ac ſi diceretur: nihil enim dicitur propriè eſſe illud, quod ipſi attribuitur, niſi ſit in eo, quod attribuitur, tanquam in genere. Color exempli gratia, attribuitur candori, ac de candore dicitur; & candor dicitur propriè eſſe color, quia color attribuitur candori vt genus: homini autem candido attribuitur quidem color, ac de illo dicitur, nõ tamen idcircò homo propriè eſt color, quia color nõ tanquam genus, ſed veluti accidens attribuitur homini candido. [Eadem autem ratio eſt aliorum, quę de aliis dicuntur iiſque attribuũtur: nam quẽadmodũ color partĩ vt genus, partim nõ vt genus dicitur, ſic & ĩ aliis ſe res habet. ¶ Illis autẽ verbis quæ apponuntur, *ſimiliter & in alijs ſe res habet*, hoc poteſt ſignificari, vt quemadmodum in iis qui expetuntur, & bonis, illud quod eſt in bono tanquam in genere, magis expetendum eſt quàm id, quod in eo ſit non vt in genere: ita etiam in aliis vnumquodque magis illud ſit, in quo continetur tanquã in genere, & ex quo fit comparatio, quàm id, quod in eodem quidem cõtinentur, & nõ tamen vt in genere. Quippe magis fugiendum eſt illud, quod in eo quod fugiendum eſt, continetur tanquam in genere, quàm id, quod in eodem continetur non vt in genere.

c μὴ ὡς ἐν γένει δὲ. ſic legendum eſt, vt & cod. Medic. habet, non μὴ ὡς γένος δὲ. Illa autem verba, quæ ſequebantur in Græco cod. excuſo, ἔτι δὲ καὶ τὰ ὡς ἐν εἴδει. καὶ τὰ εἴδη γὰρ ὧν ἐστιν εἴδη, ἐν τῷ ὅπερ κατηγορεῖται, vt ocioſa, & Alexand. ſententiam perturbantia, deleuimus, nec latina fecimus.

Καὶ τὸ δι' ἑαυτὸ αἱρετὸν, τοῦ δι' ἕτερον αἱρετοῦ αἱρετώτερον: οἷον τὸ ὑγιαίνειν τοῦ γυμνάζεσθαι. τὸ μὲν γὰρ δι' ἑαυτὸ αἱρετὸν, τὸ δὲ δι' ἕτερον.

Item, quod propter se est expetendum, magis expetendum est quàm id, quod propter aliud: vt valere, magis quàm exerceri. illud enim propter se expetitur, hoc propter aliud.

6 Perspicuus est hic locus. Cùm enim bonorum, & eorum quæ sunt expetenda, alia [a] propter se expetantur, quod genus est beatitudo, & quæcunque honore sunt digna; alia propter aliud, vt secari, exerceri, quæstum consequi, & (vt vno verbo dicam) bona * quæ prosunt; alia & propter se & propter aliud, ceu virtutes, quas & propter se & propter beatitudinem expetimus, valetudo, diuitię, & quæcunque bona sunt vt potestates seu facultates: illud quod propter se aliquis expetit, magis expetẽdũ eo esse, quod expetitur quidẽ, nõ propter se tamen, sed propter aliud, manifestũ est: quemadmodũ & ipse exẽplis rẽ explanat. [b] Si valere (vt ipse inquit) propter se expetimus (hoc enim numeratur in iis, quæ propter se expetũtur) exerceri autẽ propter aliud, quippe valetudinis causa, aut quòd volumus certare & corona donari: valetudo magis expetenda est, quã corporis exercitatio. Eodẽque modo, si amicũ propter se expetimus, quòd [c] amicus sit alter idem, pecunias autem non propter se; amicus magis expetendus est, quàm pecuniæ. per se autem & sua sponte sibi quisque charus est & expetendus; quare & amicus, qui est alter idem. Præterea, vigilia magis expetenda est quàm somnus, si somnus ad vigiliam refertur: [d] somni namque & requietis indigemus, quò possimus vigilare. Eadem quoque ratione probare licet, philosophiam magis expetendam esse arte rhetorica.

ADNOTATIONES.

Item, quod propter se est expetendum] *Iisdem ferè verbis eundem hunc locum describit in primo lib. de studio dicendi, vbi etiam aptissimum exemplum adposuit: inquit. n. καὶ τὸ αἱρετώτερον καθ' αὑτὸ, τοῦ μὴ καθ' αὑτό: οἷον ἰσχὺς, ὑγιεινοῦ. τὸ μὲν γὰρ οὐχ αὑτοῦ ἕνεκα: τὸ δὲ, αὑτοῦ. ὅπερ ἦν τὸ ἀγαθόν. idest*, Et quod per se expetitur, eo quod non per se: vt corporis robur, re aliqua salubri alterum enim non sui gratia, alterum verò sui gratia, quod quidem erat bonum. *Nemo autem mirari debet, cur Aristot. in lib. Rhetor. dicat καθ' αὑτὸ αἱρετὸν, hic verò δι' αὑτὸ αἱρετὸν. nam idem valet vterque loquendi modus, nullumque inter se discrimen habent hoc in loco τὸ καθ' αὑτὸ, & τὸ δι' αὑτὸ: ipse enim et in .I. lib. Ethic. ad Nicom. cap. VII. alterũ pro altero uicissim vsurpat, & τῷ καθ' αὑτὸ opponit τὸ δι' ἕτερον. M. Tullius in suis Topicis locum, qui commemoratus est, ita exposuit.* Specie autem comparantur, vt anteponantur quæ propter se expetenda sunt, iis quę propter aliud. *Prætereundum autem non videtur, Aristo. I. quoque lib. Ethi. ad Nico. cap VII. vbi quærebat, quemadmodũ beatitudo esset summum ac perfectissimum bonum, hunc eundem locum sic explicasse. τελειότερον δὲ λέγομεν τὸ καθ' αὑτὸ διωκτὸν, τοῦ δι' ἕτερον, & quæ sequuntur. hoc est*, Perfectius autem id dicimus, quod propter se appetitur, quàm illud quod propter aliud. [*Sed præter illa exẽpla, quæ ad hunc locum illustrandum ab Alexandro excogitata sunt, possumus etiam dicere, hac ratione magis expetendum esse otium quàm negotium, cùm hoc ad otium referatur, otium autem propter se expetatur: versamur enim in rebus gerendis, vt in otio viuamus. Sic etiam magis expetenda est pax, quàm bellũ: nam bellum gerimus, vt in pace sine iniuria viuatur: pacem autem propter se petimus, quemadmodum testatur Aristot. lib. X. de moribus ad Nicom. cap. VI. cuius hæc uerba sunt. δοκεῖ τε ἡ εὐδαιμονία ἐν σχολῇ εἶναι: ἀσχολούμεθα γὰρ, ἵνα σχολάζωμεν. πολεμοῦμεν δὲ, ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν: &c.*

[a] Hanc esse diuisionem eorum, quæ expetuntur; & beatitudinem numerari in ijs, quæ honore sunt digna; præterea, uirtutes & propter se & propter aliud expeti; itẽ, quæ bona sint vt potestates et instrumenta, docet Aristot lib. I. Ethic. ad Nicom. c. VII. & XII. nec non Alex. lib. IIII. Quæst. Nat. c. IIII. sed præclarè M. T. lib. II. de Inuen. in fine, cũ inquit: Rerum expetendarum, &cet.

** τὰ ὠφέλιμα. Sic. n. & M. T. li. III. de Fini.*

[b] εἰ τὸ μὲν ὑγιαίνειν αἱρούμεθα δι' αὑτὸ. rectè (vt opinor) locum in Græco cod. etiam manuscripto mutilatum sic expleuimus.

[c] Ita & M. Tull. de Ami. Ipse enim se quisq; diligit, non vt aliquam à se ipso mercedẽ exigat charitatis suæ, sed quòd per se sibi quisque charus est quod nisi idẽ in amicitiã transferatur, verus amicus nunquã reperietur: est enĩ is amicus quidem, qui est tanquã alter idem. Sic et Arist. IX. li. Ethi. πρὸς δὲ τὸν φίλον ἔχειν, ὥσπερ πρὸς ἑαυτόν. ἔστι γὰρ ὁ φίλος ἄλλος αὐτός.

[d] Sic & Arist. X. lib. Eth. ad Nic. οὐ δὴ τέλος ἡ ἀνάπαυσις: γίνεται γὰρ ἕνεκα τῆς ἐνεργείας.

Καὶ τὸ καθ' αὑτὸ, τοῦ κατὰ συμβεβηκός: οἷον τὸ τοὺς φίλους δικαίους εἶναι, τοῦ τοὺς ἐχθρούς. τὸ μὲν γὰρ καθ' αὑτὸ αἱρετόν: τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός. τὸ γὰρ τοὺς ἐχθροὺς δικαίους εἶναι, κατὰ συμβεβηκὸς αἱρούμεθα, ὅπως μηδὲν ἡμᾶς βλάπτωσιν. ἔστι δὲ τοῦτο ταὐτὸν τῷ πρὸ αὐτοῦ: διαφέρει δὲ τῷ τρόπῳ· τὸ μὲν γὰρ τοὺς φίλους δικαίους εἶναι, δι' αὐτὸ αἱρούμεθα, καὶ εἰ μηδὲν ἡμῖν μέλλει ἔσεσθαι, κἂν ἐν Ἰνδοῖς ὦσι. τὸ δὲ τοὺς ἐχθρούς, δι' ἕτερον, ὅπως μηδὲν ἡμᾶς βλάπτωσι.

Et quod per ſe, magis quàm quod [a] ex accidente: vt amicos eſſe iuſtos, magis quàm inimicos. Alterum enim per ſe expetitur, alterum ex accidente: nam inimicos eſſe iuſtos, ex accidente expetimus, vt ne nobis quicquam noceant. Hoc verò idem eſt, atque id quod proxime ſupra expoſitum eſt: ſed differt modo. Nam amicos eſſe iuſtos, propter ſe expetimus, etiã ſi ad nos nihil ex hoc redeat, iique apud Indos habitent: inimicos autem, propter aliud, vt nihil nobis obſint.

[a] Ex euentu, latinè dicendum eſſet: ſed à mala conſuetudine, tanquã ab æſtu, me abripi ſino.

7 Alium locum illi adiũgit, qui proximè ſupra expoſitus eſt: quo docet, illud quod per ſe expetitur, magis expetendum eo eſſe, quod ex accidẽte. Illud autẽ per ſe expetitur, quod ob propriam naturam ſuique præſentiam expetitur: ex accidente verò id, quod cùm ſuapte natura non ſit expetendum, accidit tamen vt ob aliam quandam cauſam expetatur. Sed cuiuſmodi ſit horum vtrumque, ipſe exemplis declarat. Amicos verbigratia eſſe iuſtos, per ſe expetimus & optamus, non noſtri cauſa; nec profectò idipſum expetimus, vt aliquid ex eo conſequamur: ſed cùm [b] amicitia ſit voluntas erga aliquem rerum bonarum, & iuſtitia ei qui illam habet, bonum ſit, hinc fit vt bona amicis optemus. Inimicos autem eſſe iuſtos, non per ſe quidem cupimus, cùm proprium inimicitiæ non ſit, bona inimicis optare; alioquin idem eſſent inimicitia & amicitia. Hoc igitur nõ per ſe, ſed ex accidente expetimus: quia enim accidit, vt viri iuſti iniuriam non faciant, idcircò inimicos iuſtos eſſe cupimus, quaſi ſi hac ratione non ſint nobis iniuriam illaturi. Quod ſi hoc ex accidẽte, illud autem per ſe expetimus: cõſtat, illud quod per ſe expetimus, magis expetendum eo eſſe, quod ex accidente.

[b] Sic etiam Cicero li. II. de Inuent. amicitiã definit. Amicitia eſt volũtas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſa, quem diligit, cum pari eius voluntate. Item lib. II. de Fin. Quid autẽ eſt amare, è quo amicitiæ nomen ductum eſt, niſi velle bonis aliquẽ affici quã maximis, etiã ſi ad ſe ex his nihil redeat? Quã definitionem videtur ſumpſiſſe ab Ariſto. lib. ii. Rhet. ubi ipſe inquit. ἔστω δὴ τὸ φιλεῖν τὸ βούλεσθαί τινι, ἃ οἴεται ἀγαθά, ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὑτοῦ, &c.

¶ Hunc autem locum qui ſtatuit, illud quod per ſe expetitur, magis expetẽdum eo eſſe, quod ex accidente, eò cum proximo ſuperiore quo docebatur, illud quod propter ſe eſt expetendum, magis expetẽdum eſſe quàm id quod propter aliud, eundem eſſe inquit, quòd idem ſit propter ſe & per ſe, propter aliud & ex accidente. Amicos exempli cauſa eſſe iuſtos, & propter ſe & per ſe eſt expetendum, quemadmodum etiam ſanitas: inimicos autem, & ex accidente quia videlicet contingit eos, ſi iuſti ſint, non obeſſe, & propter aliud, ne ſcilicet nobis obſint. Tale etiã quiddã eſt ſe exercere: hoc nãque & propter aliud expetimus, nimirũ propter ſanitatẽ, & ex accidente, quoniã accidit, vt ii qui ſe exercent, bene valeãt. Sed hos duos cõmemoratos locos eò tantùm interſe diſcrepare affirmat, quòd in iis alius atque alius ſit pronunciandi modus: in altero namque his vocibus vtimur, propter ſe & propter aliud: in altero verò, per ſe & ex accidente. [An per ea quidem exempla, quæ poſita ſunt, loci interſe ſolùm diſcrepant ex modo pronunciandi: per alia autem magnopere interſe diſſidere pro vario pronunciandi modo conſpici poſſunt? Nonnulla enim [c] per ſe quidem expetuntur, non tamen propter ſe. frigentibus verbigratia, calida veſtis expetitur per ſe; quod ſi per ſe, iam non ex accidente: nõ tamen propter ſe, ſed propter aliud, quia nimirum ex ea id paratur, vt non frigeſcant. Veſtem autem

[c] In plurimis aliud eſſe per ſe, aliud propter ſe: hoc enim eſſe anguſtius, illud latius: quẽadmodũ contrà in nonnullis anguſtius id quod ex accidente, eo quod propter aliud.

tem, quā frigētes perse expetimus, aut albā, aut subnigrā, aut alio quouis colore præditam, ex accidente expetimus. Præterea, equiti equus perse expetitur, quia ille hoc modo equestris artis actiones præstare potest: non tamen propter se, siquidē nec etiam ipsum equitare, ad quod equi vsus refertur, propter se expetitur. Albus autē seu niger equus, equiti ex accidēte expetitur. Itē, is qui alimēto eget ali per se quidem videtur expetere, sed non propter se tamen. Quæ igitur [d] propter se expetuntur, habent etiam hoc, vt perse expetantur: sed ratio non videtur vicissim retrò cōmeare. [Omninò etiam, quod ex accidente bonū est, cùm sua natura non sit bonum, bonum dicitur propter aliquod bonum, quod illi accidat. Tale est illud, inimicos esse iustos, quia videlicet ei, cùm non sit bonum, bonum aliquod accidit: nam iniuriam ab iis non pati, non illorū, sed nostri causa bonum ex accidente videtur esse. Non sic tamen se habent diuitiæ, neque hoc modo sunt bonum, aut aliud quidpiam bonum, quod instrumenti rationem obtineat: sed per se quidem sunt bonum, nō propter se tamen. Ac perse ea ratione, quia sua ui & [e] natura sunt instrumentum ad honestas actiones obeundas: nō propter se autem, quòd omne instrumētū quæratur propter aliud. Itaque quod ex accidente expetitur, propter aliud etiam omnino expetetur: sed quod propter aliud, non prorsus ex accidente: multa enim propter aliud expetūtur, quæ sua natura sunt bona. Illa autem dumtaxat ex accidente expetūtur, quæ eò sunt expetenda, quòd aliquid illis accidat: sic enim interdum fiunt expetenda, paupertas, morbus, & mors. Quamobrem si, perse, non est idem ac, propter se; nec item, ex accidente, idē ac, propter aliud: hi etiā loci, qui expositi sunt, nō erunt inter se iidem, sed mirificè discrepabunt.

Καὶ τ' αἴτιον ἀγαθοῦ καθ' αὑτὸ, τοῦ κατὰ συμβεβηκὸς αἰτίου, καθάπερ ἡ ἀρετὴ τῆς τύχης. ἡ μὲν γὰρ καθ' αὑτὴν, ἡ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς αἰτία τῶν ἀγαθῶν· καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἐναντίου. τὸ γὰρ καθ' αὑτὸ κακοῦ αἴτιον, φευκτότερον τοῦ κατὰ συμβεβηκός: οἷον ἡ κακία καὶ ἡ τύχη. τὸ μὲν γὰρ καθ' αὑτὸ κακὸν, ἡ δὲ τύχη κατὰ συμβεβηκός.

Et quod boni est causa per se, magis quàm quod ex accidente sit causa: quemadmodum virtus, magis quàm fortuna. Illa enim perse, hæc ex accidente bonorū est causa, aut si quid aliud tale est. Similis autem est ratio contrarii. Nam quod per se est causa mali, magis fugiendum est quàm id, quod ex accidente. Eiusmodi sunt vitium, & fortuna: quorū alterum est per se malum, fortuna verò ex accidente.

8 Cùm docuisset, illud quod perse expetitur, magis expetendum eò esse, quod ex accidente: in causis autem talis etiam reperiretur varietas, quippe [a] aliæ enim sunt perse causæ, aliæ ex accidente; perse quidem est causa domus, ædificator; ex accidente verò, Atheniensis siue albus ædificator: locum quendam & à causis nobis tradit, quo, quid magis expetendum sit, diiudicemus. Quamobrem cùm ex duobus bonis, quæ alicuius boni & expetendi causa sint, alterum quidem est causa perse, alterum autem ex accidente: illud, quod est causa perse, est etiam magis expetendum. Hic autem locus cōmuni illo dicto, & ab omnibus recepto nititur, quod rei expetēdæ causa est, ipsum quoq; esse expetēdū. Hac igitur ratione magis expetenda est virtus quàm fortuna: virtus enī rectè factorū, quæ ad illā dirigūtur, est causa per se; fortuna autem, si quando est causa, ex accidente est: vniuersè enim [b] demonstratum est, fortunam esse causam ex accidēte. Hoc eodem argumento probare licet, magis expetendam esse medicinam fortuna, si ambæ sanitatis sint causa. Præterea, eadem ratione magis expeten-

[d] Aristot. tamen I. lib. Ethi. cap. VII. nullā uidetur agnoscere differentiam inter has uoces καθ' αὑτὸ & δι' αὑτὸ, cùm τῷ δι' ἕτερον opponat τὸ καθ' αὑτὸ. eius uerba in superiore adnotatione protulimus.

[e] vide infra cōm. 2 eo

[a] De causis per se et ex accidente, longo sermone disserit Aristot. in. II. lib. de naturali auscult.

[b] in II. lib. Physicorum.

da est sanitas, quàm coloris bonitas: sanitas namque per se est causa boni, coloris autem bonitas ex accidente. Hanc etiam ob causam præstat alicui se exercere, quàm secari: illud enim per se sanitatem efficit, hoc ex accidente. a Nam & eum se exercere, qui apud aliquem exercetur, perspicuum est: non tamen vt se exerceat, sed vt apud alium se exerceat. ¶ Hoc autem eodem loco doceri potest, illud esse magis fugiendum, quod per se sit causa mali, quàm id quod ex accidente: vt vitium magis quàm fortunam. Sic etiam ille est deterior gubernator, qui ipse nauem euertit, quàm is, ob cuius absentiã nauis euersa est: hic enim ex accidente, ille per se fuit euersionis causa. Eadem ratio est de imperatore ac medico: quippe is imperator, quo præsente exercitus periit, deterior est, quàm is, qui cum abesset, in causa fuit, cur exercitus periret. idem de medico dicendum est.

a Quid sibi velint hæc verba, quæ & in Græco codice Medic. leguntur, ego (vt ingenuè fatear) satis intelligere nõ possum.

Καὶ τὸ ἁπλῶς ἀγαθὸν, τοῦ τινὶ αἱρετώτερον· οἷον τὸ γυμνάζεσθαι τοῦ τέμνεσθαι· τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς ἀγαθὸν, τὸ δὲ τινὶ a τῷ δεομένῳ τομῆς.

a sic & codex Abbat. Florent. non τῶν δεομένων.

Et quod simpliciter est bonum, magis expetendum est quàm id, quod alicui: vt se exercere, magis quàm secari. Alterũ enim simpliciter est bonum, alterum autem alicui, qui sectione eget.

9 Vt in rebus salubribus aliquæ sunt simpliciter salubres, quæ scilicet sanis & secundum naturam se habentibus tales sunt, veluti deambulationes, exercitationes, huiusque generis cibi; aliquæ verò non simpliciter, sed aliquibus, vtputa ægrotãtibus, ceu sectiones b iis, quos secari opus est, inediæ, quietes, & medicamenta: sic etiam ex bonis partim simpliciter sunt bona, quæ videlicet omnibus qui secundum naturam se habent, talia sunt; partim autem alicui. Sanitas exempli causa, simpliciter est bonum, quòd omnibus qui secundum naturam se habent, bonum sit: morbus autem simpliciter quidem est malũ, alicui verò potest etiam interdum esse bonum, vt Theageni; hic enim cum alebat morbum (vt inquit c Plato) in philosophiæ studiis detinebatur. Eodemque modo diuitiæ & gloria, simpliciter sunt bonum: sed et paupertas et nominis obscuritas, possunt etiã interdum alicui esse bonum, si ei ob paupertatẽ vel nominis obscuritatem nec insidiæ tenderentur, nec mors ab aliquo tyranno afferretur, qui diuites & gloriosos homines necaret. Quamobrem cùm hæc ita se habeant, ea quæ simpliciter sunt bona, illis præstare ait, quæ non simpliciter, sed aliquibus & interdum sunt bona. Ac locus quidem perspicuus est & clarus: idemque esse potest cum illo, quo paulò ante exposito docebatur, illud quod per se expetitur, magis expetendum eo esse, quod ex accidente.

b exempli gratia C. Mario, cui uarices sectæ fuerunt, vt testatur Cicero in II. Tuscul.

c lib. VI. de Rep. eius uerba sunt hæc. καὶ γὰρ Θεάγει τὰ μὲν ἄλλα πάντα παρεσκεύαστο πρὸς τὸ ἐκπεσεῖν φιλοσοφίας. ἡ δὲ τοῦ σώματος νοσοτροφία ἀπείργουσα αὐτὸν τῶν πολιτικῶν, κατέχει.

ADNOTATIONES.

Vt se exercere, magis quàm secari.] οἷον τὸ γυμνάζεσθαι τοῦ τέμνεσθαι *hanc scripturam reperi in margine cuiusdam mei codicis adnotatam, quam libenter secutus sum. Nam quod in omnibus ferè vulgatis legitur,* οἷον τὸ ὑγιάζεσθαι τοῦ τέμνεσθαι, *non probo, propterea quòd* ὑγιάζεσθαι *apud Aristotelẽ & Alexandrum significat ferè semper curari, id est (vt Græci inquiunt)* θεραπεύεσθαι: *vt cum in XXII. loco dicitur,* ἐπειδὴ τὸ ὑγιάζεσθαι τῆς ὑγιείας ἕνεκεν αἱρούμεθα: *id quod non est simpliciter bonum, hoc est non iis qui secundum naturam se habent, sed alicui, qui curatione seu sanatione eget. At* γυμνάζεσθαι *simpliciter est bonũ, nempe iis, qui rectè se habent: corporis namque exercitatio valetudinem efficit, eamque conseruat, & in rebus simpliciter salubribus paulò supra ab Alexandro numerata est. Præterea, verbo* ὑγιάζεσθαι *hic nullus locus esse potest: idem enim propemodum est* τέμνεσθαι, *quod* ὑγιάζεσθαι, *cùm membri sectio species quædam curationis seu sanationis sit. Similitudo vocum potuit fortasse multos decipere,*

ita

ita vt ὑγιάζεσθαι αὐτὶ τοῦ γυμνάζεσθαι scriberent, nec exempli vim satis attenderent. Huius autem loci restitutionem eò libentius amplector, quòd eam placere video acuto & erudito adolescenti, Roberto Titio ciui meo. is enim ita eleganti ingenio præditus, & omni liberali doctrina excultus est, vt optimè de his rebus iudicare possit. Hæc cùm scripsissem, ac de doctissimo uiro P. Victorio quæsissem, quid sui iudicii esset de hoc loco: is, vt est in omnes humanissimus, nullam se scripturæ varietatem in libris calamo exaratis inuenisse respondit. At ego postea, cum codi. vetustissimum & optimum, qui custoditur in Abbatia Florentiæ, consuluissem, lectionem illam quam proposui, in qua γυμνάζεσθαι pro ὑγιάζεσθαι habetur, sine vlla litura expressam offendi. Gaudeo igitur ad coniecturam meam antiquiss. codicis auctoritatem accessisse.

Καὶ τὸ φύσει, τοῦ μὴ φύσει: οἷον ἡ δικαιοσύνη τοῦ δικαίου. τὸ μὲν γὰρ φύσει, τὸ δὲ ἐπίκτητον.

Item, quod natura constat, magis quàm quod natura non cõstat, vt iustitia iusto: alterum enim constat natura, alterum est aduentitium.

10 Hic locus potestate quidem idem est cum proximo superiore, eâdemque cum illo vim habet: quæ enim suapte natura bona sunt, simpliciter etiam sunt bona; & quę sunt aduentitia, non simpliciter, neque omnibus sunt bona. Sed notione tamen & intelligentia ab eo differt, cùm bonum hîc accipiatur, non quia simpliciter sit bonum, sed quòd suapte natura sit tale. [In vniuersum verò ea quæ natura constant, præstant iis quæ natura non constant, sed sunt aduentitia, siue sint ab artibus, siue à legibus profecta. Nam quæ ab artibus proficiscuntur, cùm ad a naturę imitationem facta sint, posteriora sunt natura: quę autem à consuetudine, consensu, ac legibus ortum habent, inferiora similiter sunt rebus naturalibus. Etenim, cur illa eiusmodi sint, propria & princeps causa natura est; hæc autem, certorum hominum consensus, aut consuetudo. Quamobrem ex bonis quoque, quæ suapte natura bona sunt, pręstant iis quæ nõ suapte natura sunt talia. Iustitia exempli causa, quemadmodum & omnis virtus, suapte natura est bonum; illud autem ius, quod apud singulas quasque nationes & homines valet, non b suapte natura tale est, sed aut ex consuetudine, aut ex lege natum est: aliæ enim apud alios sunt leges & instituta, & singuli suis legibus atque institutis vtuntur, bonis illis quidem & optabilibus. Itaq; cùm ambo bona sint, nempe iustitia, & illa iura quę legibus sunt constituta: iustitia tameǹ quæ natura existit, pręstat eiusmodi iuri, quòd illa natura valeat, hoc nõ ualeat. Nunc.n. δίκαιον, hoc est ius, siue id quod iustum est, intelligit illud quod natura non valet, quia est etiam aliquod quod natura valet, illud videlicet quod à iustitia oritur. [Aut etiam cum dixit τοῦ δικαίου, intellexit hominem, qui præditus sit iustitia: etenim hic habet iustitiam vt bonum aduentitium, nõ autem naturale, cùm iusti c natura iusti non sint: iustitia autem suapte natura est bonum.

ADNOTATIONES.

Item, quod natura constat] *Hic locus (nisi planè fallor) non discrepat ab eo, qui in primo libro de arte rhetorica ita ab Aristot. exponitur.* καὶ δ' αὐτοφυὲς τοῦ ἐπικτήτου· χαλεπώτερον γάρ. ὅθεν καὶ ὁ ποιητής φησιν. αὐτοδίδακτος δ' εἰμί. *hoc est, [Et innatum aduentitio atque aliunde quæsito: difficilius enim est. Vnde & poeta inquit; Ingenij mei vi talem disciplinam adeptus sum.] Illam enim vocem* ἐπίκτητον *hic etiam retinuit. Sic iustus habet iustitiam vt bonum aduentitium, quia vir iustus consuetudine paullatim fit: illud nanque* τοῦ δικαίου, *de eo etiam qui iustitia præditus est,*

a *Ars enim aut perficit quæ natura perficere nõ potest, aut eius opera imitatur, ut II. lib. Physicorum & IIII. Meteororum Aristot. tradit.*

b *Idem scribit Aristot. in I. lib. Ethic. ad Nico. cap. 3. his verbis. In ijs rebus quæ honestæ sunt, quæque iustæ, quas ciuilis scientia considerat, tanta inest dissimilitudo, tantusque versatur error, vt lege tantummodo non etiam natura cõstare videantur, &c. Quod etiã expressit Horatius Saty. 3. lib. I. cum cecinit. Atque ipsa utilitas iusti propè mater et æqui. et paullò infra. Nec natura potest iusto secernere iniquũ. De hac autẽ re nonnulla attigit Aristotel. in lib. de Sophist. Elen. cap. XII. sed præclarè admodum de ea disputat Plato in X. libr. de Legi. atque etiam in Gorgia, & M. Tulli. lib. II. de inuent. in fine. Ius autem illud, quod apud singulas quasque nationes & homines ualet, ac mutabile est, iurisconsulti appellant ius ciuile: illud verò, quod ubique locorũ & gentiũ peræquè obseruatur, atque immutabile est, ius naturale, siue ius gentium primæuum. De his autem omnibus rebus subtiliter etiã differit Arist. in V. lib. Ethi. ad Nicom.*

c *Virtutes in nobis gigni non natura, nec præter naturam: sed à natura informari, perfici autem & perpoliri cõsuetudine, docet Aristot. in II. lib. de moribus ad Nicom. cap. i.*

posse intelligi, in secunda eius vocis explicatione Alexander tradit. Cicero in suis Topicis locum hunc ita expressit. Innata atque insita, assumptis & aduentitiis, *scilicet præferenda sunt.* [*Hac igitur de causa magis laudatur pulchritudo mulierum naturalis, quàm quæ studio & industria ab ijs comparatur: vnde ille antiquus scriptor valdè bonus, cum mulieris formam laudaret, inquit ipsam habere* αὐτοφυές τε, καὶ μὴ ἐπίπλαστον κάλλος, *idest insitam atque ĩnatã, non fucatam & adulterinam pulchritudinem. Sic etiam ostendi potest, præstare agros esse natura fertiles, quàm diligentia & cultura adhibita: & omnino bonitatem cuiusque rei* ἐμφυσιωθεῖσαν, *magis expetendam esse, quàm quæ* φιλοπονίᾳ *siue* ἐργασίᾳ *acquiritur: Vnde & M. Tullius lib. I. de Nat. deor. inquit,* Meliora sunt ea quę natura, quàm quæ arte perfecta sunt. *Item, in orat. pro Archia poeta pluris æstimat ad consequendam virtutem, naturam, quàm doctrinã, cũ ait:* Etiã illud adiungo, sępius ad laudẽ atq; virtutẽ naturã sine doctrina, quã sine natura valuisse doctrinam. *Sed de hac re subtiliter disputat Quintilianus lib. II. cap. XX. Pindarus in poetis naturam doctrinæ semper anteponit: eosque poetas, qui multis laboribus ac vigilijs aliquid didicerunt, coruos appellat his verbis.* σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ κόρακες ὡς, γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον. *idest* [*Sapiens est is, qui multa scit natura: qui didicerunt autem, tanquã corui linguæ volubilitate & inani strepitu, cum Iouis aui voce contendunt.*] *Hanc Pindari sententiam videtur secutus Cicero plerisque in locis: sic enim ille in orat. pro Archia.* Atque sic à summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia & doctrina & præceptis & arte constare, poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. *Item in ii. lib. de Oratore ad. Q. F.* Sæpe enim audiui, poetam bonum neminem (id quodã Democrito, & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris. *Item. I. de Diuinat.* Negat enim sine furore Democritus quenquã poetam magnum esse posse: quod idem dicit Plato. *Horatius in epist. de arte poetica ita de Democrito loquitur.* Ingenium misera quia fortunatius arte Credit, & excludit sanos Helicone poetas Democritus: *&c. Quæstionẽ verò, vtrum poeta natura, an arte valeat, expendit idem ac dissoluit in eadem epist. cum inquit.* Natura fieret laudabile carmen, an arte, Quæsitum est: ego nec studium sine diuite vena, Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Καὶ δ' τῷ βελτίονι καὶ τιμιωτέρῳ ὑπάρχον, οἷον θεῷ ἤπερ ἀνθρώπῳ, καὶ ψυχῇ ἤπερ σώματι.

Item, quod naturæ meliori maioreque honore dignæ adest, magis expetendum est: vt quod Deo, magis quàm quod homini; & quod animo, magis quàm quod corpori.

11 Locus quidem est satis apertus: eo enim tradit, bonum præstãtioris naturæ magis expetendũ esse bono, quod deteriori naturę tribuitur. Neq; enim inquit, vt alicui fortasse videri posset, illud, quod meliori naturę magis expetitur, magis etiã expetẽdum esse: siquidẽ non facit cõparationem eorũ, quæ eidem naturæ bona sint & expetenda, sed illorũ quę diuersis naturis. Verùm tamen & aliqua distinctione hic locus eget. Nam si illud intelligit (vt certè videtur) magis expetendũ, quod simpliciter ac suapte natura magis sit expetendũ, non autem id, quod homini eligenti ac de iis iudicium facienti: locus quidem simpliciter & absolutè verus est. Etenim illud bonum & expetendum, quod meliori maioreque honore dignæ naturæ adest, quà illa est melior & honoratior, magis

ex-

ª expetendum maiusque bonum est, quàm id, quod deteriori. bona exempli causa, quæ Diis immortalibus adsunt, simpliciter ac suapte natura magis expetenda maioraque bona sunt, quàm quę hominibus tribuuntur: vt æternitas, mundi totius administratio, vacuitas omnis doloris ac perturbationis, magis expetenda sunt sapientia, bona valetudine, virtute, diuitiis, philosophia, omnibus denique rebus, quę hominibus tribuuntur. ᵇ Sed si illud magis expetendum intelligit, quod homini expetenti magis sit expetendum: locus non est simpliciter verus. Neque enim illa bona & expetenda, quæ Diis immortalibus adsunt, magis sunt nobis expetenda, quã quæ vt bona & expetenda nobis tribuuntur. quippe multa illis expetenda adsunt, quę à nobis obtineri nequeunt: stulti autẽ hominis est ea expetere, quæ consequi non potest. Quamobrem si hoc modo accipiatur magis expetendum, locus hic tali additione erit explẽdus, [ᶜ Si vtręque res quæ comparãtur, obtineri vsque venire possint] Ergo si is, qui de magis expetenda iudicium facit, ambas obtinere poterit: illa erit magis expetẽda, quæ meliori & honoratiori naturę conuenit. Exempli gratia, publicè quã priuatim iuuare, magis expetendum est, quòd, cùm vtrumque ab homine prę̈stari queat, illud Diis immortalibus tribuatur, atque etiam secundum naturam sit. Eadem quoque de causa magis expetendum est beneficium dare, quàm accipere: quia nimirum Diis immortalibus id tribuitur, vt bene de aliis mereantur, eaque ambo ab homine effici possunt. [Non alia ratione sapientia, & omnes denique virtutes magis expetendæ sunt, quàm valetudo aut robur: illę enim animo tantùm, hæc corpori tribuuntur; præstat autem animus corpori. Et vt semel dicam, quæ potiori & honoratiori naturæ conueniunt, semper anteponenda sunt. Eodemque modo prę̈stat scire quàm sentire, quòd sentire magis ad corpus pertineat (corporis enim beneficio sentimus) scire autem sit animi proprium, eique maximè accommodatum. ¶Discrepat autem hic locus ab eo, quẽ supra Aristoteles his verbis exposuit, *deinde quod prudẽs anteponat, aut vir bonus*, propterea quòd in illo, vtrum magis expetendum sit præstantiori, spectatur, cum ambo eidem expetenda sint, illincq; argumentũ ducitur: hîc, cũ aliud præstantiori, aliud deteriori expetendum sit vel cõueniat, illud quod præstãtiori expetitur vel conuenit, magis expetendum esse demonstratur; quomodo se habẽt animus & corpus: neque enim hic ambo expetenda vtrique conueniunt. Atque illic quidem quærebatur, quodnam esset magis expetendum homini expetenti: hîc autem inuestigatur, quid ᵈ simpliciter & absolutè magis sit expetendum, nõ quid aliquis magis expeteret.

ª αἱρετώτερον τὸ αἱρετὸν τῷ μὴ τοιούτῳ, καὶ μᾶλλον ἀγαθόν. nisi me fallit opinio, hæc recta et germana scriptura est quamuis cod. Med. vulgatam retineat: sed verba Alexandri diligẽter sunt attendenda.

ᵇ Hæc est sentẽtia Alexãdri: si Aristot. hoc in loco intelligit illud esse magis expetẽdum, quod simpliciter & absolutè magis sit expetendum, locus omnino verus est, vt ipsemet Alex. declarat. sin illud, quod sit αἱρετώτερον τινὶ, καὶ οὐχ ἁπλῶς, locus non est simpliciter uerus, sed aliqua distinctione eget, ut ipse etiam demonstrat.

ᶜ Tota res, quã hic tractat Alexan. exponitur ab eruditissimo Victorio in suis comment. in Rhetoricam.

ᵈ Hoc dicit Alexand. vt locus Aristotelis simpliciter sit verus, nec vlla distinctione egeat, quemadmodum ipse paullo supra explicauit.

ADNOTATIONES.

Item, quod naturæ meliori.] In primo quoque libro Rhetoricorum hic idem locus traditus est, atque vno exemplo illustratus. inquit enim Aristot. καὶ τὸ τοῖς βελτίοσιν ὑπάρχον, ἢ ἁπλῶς, ἢ ᾗ βελτίους· οἷον ἡ ἀνδρεία ἰσχύος. hoc est, [& quod melioribus accommodatum est, siue simpliciter, siue qua parte meliores sunt: vt fortitudo robore.] Quæ verba doctissimus Victorius optimè, vt & cetera omnia, ex hoc Alexandri commentario interpretatus est.

Καὶ τὸ τοῦ βελτίονος ἴδιον, βέλτιον ἢ τὸ τοῦ χείρονος· οἷον τὸ τοῦ θεοῦ, ἢ τὸ τοῦ ἀνθρώπου. κατὰ μὲν γὰρ τὰ κοινὰ ἐν ἀμφοτέροις, οὐδὲν διαφέρει ἀλλήλων· τοῖς δὲ ἰδίοις, τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου ὑπερέχει.

Et quod naturæ melioris proprium est, melius etiam est quã id, quod deterioris: vt quod Dei est, quàm quod hominis. Iis

enim, quæ vtrisque communia sunt, nihil differunt inter se: iis autem, quæ cuiusque sunt propria, alter alteri [d] præstat.

12 Cum tradidisset locum, qui id magis expetendum esse statuebat, quod meliori naturæ tribuitur: quia quod alicui tribuitur, non est etiam omninò illius proprium, quippe valetudo enim tribuitur quidem homini, non tamen valere proprium hominis est: locum à proprio nunc exponit. Ergo quod naturę melioris proprium est, melius etiam est quàm id, quod deterioris. ¶ Iam verò non ex eo, quod magis sit expetendum, comparationē facit, sed ex eo, quod simpliciter & absolutè sit melius: neque [a] enim id, quod naturæ melioris propriū est, si à deteriore obtineri non queat, illi magis est expetendū. An quod simpliciter est melius, simpliciter etiam & absolutè magis expetendum esse intelligit: quo fit, vt ipse his diuersis nominibus utatur. Neq;. n. semper cōparationē facit eius quod alicui magis sit expetēdū: sed etiā īterdū eius, quod simpliciter ac suapte natura magis sit expetendū, quemadmodum & in primo loco fecit. [Illud autem esse melius, quod melioris naturæ proprium sit, eò ostendit, quòd natura melior aliqua etiam ex parte ipsius proprii sit melior: eorum namque ratione, quę communia sunt ac similia naturæ meliori & deteriori, nihil altera alteri pręstat. Quare cùm ex his nihil inter se differant: restat vt merito eorum, quæ propria illarum sunt, differentiam inter se nanciscantur, atque hac ratione ea quæ melior est, deteriorē vincat. [b] Quod si beneficio eorū quæ propria sunt, illæ naturæ inter se dissident, vnaque alteri præstat: & illud, quod melioris propriū est, erit melius ac pręstātius. Si exēpli gratia Deus, homo, & equus sūt animalia: genere quidem quod illis commune est, nihil inter se differunt. sed quia Deus, vt patet, est melior homine, & homo equo: illorū pręstantiam ab iis, quę cuiusque sunt propria, oriri necesse est. Quamobrem si Dei propria est immortalitas, hominis autem facultas scientię capessendæ, & equi facultas mittendi hinnitus: immortalitas quidē erit melior & præstātior facultate scientiæ capessendę; hæc verò, ea equi, quam diximus, facultate. Sic etiā si animi propria est [c] ὁρμὴ, idest appetitio, corporis autem ῥοπὴ, hoc est propensio: appetitio erit pręstantior propensione, quòd & animus sit præstantior corpore. [Videtur autem mihi Aristoteles naturam meliorem & deteriorem accipere de iis, quę sunt eiusdem generis: nam & comparatio eorum est, quę communitatē inter se habent. quamobrem inquit, *iis enim, quæ vtrisque communia sunt, nihil differūt inter se*: quasi illa, quæ inter se comparantur, communia quædam habere debeant.

Καὶ τὸ ἐν βελτίοσιν, ἢ προτέροις, ἢ τιμιωτέροις, βέλτιον· οἷον ὑγίεια, ἰσχύος, καὶ κάλλους. ἡ μὲν γὰρ ἐν ὑγροῖς καὶ ξηροῖς καὶ θερμοῖς καὶ ψυχροῖς, ἁπλῶς δ' εἰπεῖν ἐξ ὧν πρώτων συνέστηκε καὶ τὸ ζῷον· τὰ δὲ ἐν τοῖς ὑστέροις. ἡ μὲν γὰρ ἰσχὺς, ἐν τοῖς νεύροις καὶ ὀστοῖς· τὸ δὲ κάλλος τῶν μελῶν τις συμμετρία δοκεῖ εἶναι.

Et quod positum sit in rebus melioribus, aut prioribus, aut maiore honore dignis, melius est: vt valetudo robore & pulchritudine. Illa enim in humore & siccitate, calore & frigore, & (vt semel dixerim) in iis, ex quibus primis animal concretum est, consistit: hæc verò in posterioribus sita sunt. Robur nanque in neruis atque ossibus situm est: pulchritudo autem apta quædam membrorum compositio videtur esse.

---

[d] ὑπερέχει. sic ex Alex. reposui, cùm oēs codi. manu scripti & impressi habeant, διαφέρον ὑπάρχει: quod tamen non improbo.

[a] τὸ γὰρ τοῦ βελτίονος ἴδιον, εἰ μὴ δυνατὸν τῷ χείρονι, οὐδ' ἂν αἱρετώτερον αὐτῷ εἴη. Ita videtur legendum: quā lectionem confirmat cod. Medic.

[b] Natura melior et præstantior, aliquā etiam ex parte ipsius proprij est præstantior: quare et propriū præstātius: Quod.n. illius, quod sit melius, causa est, ipsum quoque est melius.

[c] Cicero in Acad. quæstio. ita hanc vocem interpretatur, cum inquit. Nam aliter appetitio (eā enī esse volumus ὁρμὴν) quâ ad agendum impellimur, & id appetimus, quod est visum, moueri non potest. quod itē lib. III. de Fini. monuit.

13 Locus eiusmodi est. Si eorum, quæ inter se, vtrum magis sit expetendum, comparantur, aliud positum sit in rebus melioribus, aliud in deterioribus; vel aliud in prioribus, aliud in posterioribus; aut aliud in iis quæ in maiore sunt honore & pretio, aliud in minus talibus: illud quod in præstantioribus positum est, melius etiam est ac præstantius. Si quæratur igitur, sit ne magis expetenda scientia, an sanitas: quamuis vtraque sit expetenda, scientia tamen eò magis expetenda demonstrabitur, quòd illa in animo sita sit, sanitas autem in corpore consistat: præstat enim animus corpori, eoq; melior est. [Si quæratur item, sanitas ne, an corporis robur vel pulchritudo magis sit expetenda: sanitas eò magis expetenda cõfirmabitur, quòd in prioribus sedem habeat. Sanitas enim in primarum qualitatum quæ corporeæ sunt, conuenientia & concordia consistit, nempe caloris & frigoris, humoris & siccitatis; corporis autem robur in partiũ d simplicium, ossium scilicet, neruorum, & spiritus, moderatione ac temperantia, pulchritudo verò in apta compositione multiformium, cuiusmodi sunt facies, collum, manus, aliæque partes, quæ primis qualitatibus sunt posteriores. Eadem quoque ratione probare licet, magis expetendum esse robur pulchritudine: primùm enim in nobis sunt partes simplices, in quibus robur consistit, deinde multiformes, in quibus pulchritudo posita est. Cuius rei signum est, quòd singulæ quæque multiformes ex simplicibus concretæ sunt, ceu facies ex ossibus, neruis, & carne: atque hanc ob causam auferuntur quidem vnà cum aliis, non tamen secum alias auferunt. [Si quæratur præterea, sit ne magis expetẽda contemplatio, an actio: contemplatio eò magis expetenda ostendetur, quòd illius muneris functio in rebus nobilioribus maioreque honore dignis versetur. Actio enim versatur in rebus quæ sub actionẽ cadunt, quæque in nostra sunt potestate: contemplatio autem in rebus diuinis. Adde, quòd hæc nobilissima & præstantissima animi parte exercetur: mens enim, cuius muneris functio est contemplatio, omnium animi facultatum nobilissima & præstantissima est.

d *τῶν ὁμοιομερῶν. ita videtur uertere hanc vocẽ Cicero in Acade. quæst. cum inquit. Principes qualitates sunt unius modi & simplices: ex iis autem ortæ, uariæ sunt & quasi multiformes.*

ADNOTATIONES.

Illa enim in humore & siccitate] Hanc Aristotelis sententiam de eo, in quo posita est sanitas et pulchritudo, Galenus cùm plerisque in locis secutus est, tùm vel maximè in V. libro de decretis Hippocratis & Platonis cap. III. & in I. de vsu partium cap. IX. Galeni verba è primo loco indicato sunt hæc. τὸ μὲν δὴ κάλλος τοῦ σώματος ἐν τῇ τῶν μορίων συμμετρίᾳ κατὰ πάντας ἰατρούς καὶ φιλοσόφους ἐστίν. ἡ δ᾽ ὑγίεια τῶν στοιχείων αὖ πάλιν ἅττα ποτ᾽ ἂν ᾖ, πρὸς ἄλληλα ἐστὶ συμμετρία. εἴτε γὰρ ἐξ ὄγκων καὶ πόρων, ὡς Ἀσκληπιάδης ὑπετίθετο, τὰ τῶν ζώων σύγκειται σώματα, συμμετρία τούτων ἐστὶν ἡ ὑγίεια. εἴτ᾽ ἐξ ἀτόμων ὡς Ἐπίκουρος, εἴτ᾽ ἐξ ὁμοιομερῶν ὡς Ἀναξαγόρας, εἴτ᾽ ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ, καθάπερ ὅ τε Χρύσιππος δοξάζει, καὶ πάντες οἱ Στωϊκοί, καὶ πρὸ αὐτῶν Ἀριστοτέλης καὶ Θεόφραστος, καὶ πρὸ τούτων ἔτι Πλάτων καὶ Ἱπποκράτης, ἡ τῶν στοιχείων κατὰ πάντα συμμετρία τὴν ὑγίειαν ἐργάζεται. *hoc est, [Pulchritudo igitur corporis de omnium medicorum philosophorumque sententia in apta membrorum cõpositione sita est: sanitas in elementorum conuenientia & concordia, quæcunque elemẽta ea fuerint. Nam siue ex magnitudinibus & meatibus, vt Asclepiades statuebat, cõstent animaliũ corpora: siue ex atomis, ut Epicurus: siue ex similaribus partibus, ut Anaxagoræ: siue, vt Chrysippus opinatur, Stoicique omnes, et antè eos Aristoteles et Theophrastus, & prius etiam Plato ac Hippocrates, ex calido & frigido, humido & sicco: elementorum in omnibus æquabilitas & consensus, sanitatem efficiet.] Verba autem, quæ in. I. lib. de vsu partium cap. IX. leguntur, quæque pulchritudinẽ &* εὐφυΐαν *maximè describunt, in hunc modum se habent.* εὐφυΐα καὶ κάλλος ἐστὶν ἡ ἀρίστη κατασκευὴ ταῖς ἐνεργείαις συναπτομένη. αὕτη γάρ σοι κανὼν καὶ μέτρον καὶ κριτήριον εὐφυΐας τε

καὶ κάλλους ἀληθινοῦ. οὐδὲ γὰρ ἄλλο τι τὸ ἀληθινὸν κάλλος ἐστὶ, πλὴν τῆς ἀρίστης κατασκευῆς, ἣν ταῖς ἐνεργείαις κρινεῖς, Ἱπποκράτει πειθόμενος, οὐ λευκότησιν, ἢ ἄλλοις τισὶ τοιούτοις, δι' ὧν τὸ κομμωτικὸν καὶ νόθον, οὐ τὸ τῆς φύσεως οὐδὲ τὸ ἀληθινὸν, ἐπιδείκνυται κάλλος. ὅθεν ἄλλα μὲν ἀνδραποδοκάπηλος, ἄλλα δ' Ἱπποκράτης ἐπαινέσειεν σώματα, *idest,* [*Naturæ bonitas et pulchritudo est, optima structura cũ actionibus iuncta: hæc enĩ* εὐφυΐας *veræq; pulchritudinis cognoscẽda, regula, mensura, iudiciũq; tibi erit. Vera nãq; pulchritudo nihil aliud est, quàm optima structura actionibus dyudicanda, si Hippocrati credas, nõ candore & mollitudine, vel id genus alijs, per quæ nõ naturalis nec vera, sed fucata et adulterina pulchritudo ostentatur. Quo fit, vt alia corpora mango, alia Hippocrates laudaturus sit.*] *Hæc autẽ Galeni de pulchritudine opinio, quæ recta est, cũ illa pulchritudinis definitione maximè cõcinit, quã attulit Arist. lib. I. Rhetoricorũ his verbis.* νέου μὲν οὖν κάλλος, τὸ πρὸς τοὺς πόνους χρήσιμον ἔχειν τὸ σῶμα, τούς τε πρὸς δρόμον, καὶ πρὸς βίαν, ἡδὺν ὄντα ἰδεῖν πρὸς ἀπόλαυσιν· διὸ οἱ πένταθλοι κάλλιστοι, ὅτι πρὸς βίαν καὶ πρὸς τάχος ἅμα πεφύκασιν. *idest,* [*Adolescentis igitur pulchritudo est, habere corpus accommodatum ad labores, tùm eos qui in cursu, tùm eos qui in vi adhibenda sustinentur: sed & suaui forma eum esse oportet, vt alios voluptate perfundat. Idcirco pentathli formosissimi sunt, quòd ad vim adhibendã & velocitatem simul, natura sint facti.*] *Vt autem hic adolescentis pulchritudinẽ descripsit, sic deinceps, quæ pulchritudo in quaque ætate sit, accuratè explicauit.* ¶ *Aristoteles igitur, quẽadmodum & Galenus, in pulchritudine* καὶ τὸ ἐπὶ τῆς εὐφυΐας *hoc esse vult, vt ille, qui dicitur pulcher & bona forma præditus, optimam membrorum conformationem habeat, actionibus diiudicandam. Sed & illud tamen adiungit philosophus, quòd is adolescens, qui pulcher vocandus est, debet etiam præter decentem corporis figuram habere in se suauitatem quandã & leporẽ, quibus spectantes moueat atq; delectet. Quæ sanè cõditio ad pulchritudinẽ cõstituendam maximè facit: immò pulchritudo tota ferè in ea posita est, Cui rei illud argumẽto est, quòd forma, quãlibet alioqui bona, sine illo lepore ac venustate, quæ, quòd moueat et excitet animos ad amandũ, perinde ac sal gustatũ ad appetendũ,* ἄλμυρον *à Græcis dicitur, friget nomenq; pulchritudinis nõ meretur. Quãobrẽ dulcissimus ac politissimus poeta Catullus rectè Quintiã quãdã formosam esse negauit, quòd illa, etsi satis benè conformato corpore, nihil venustatis, nihil leporis, &c. vt ipse inquit, nullã micam salis in se haberet. Versus ipsius, quia suauissimi sunt, non me piget subscribere.*

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est. hæc ego sic singula confiteor.
Totum illud formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tàm magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est, quæ cum pulcherrima tota est,
Tùm omnibus vna omnes surripuit Veneres.

Sed etiam M. Tullius, quantum ad pulchritudinem efficiendam valeat illa venustas, quæ & non ineleganter à nobis patrio sermone dicitur, grazia & gentilezza d'aria, eò satis apertè indicauit, quòd pulchritudinem nõ sine coloris suauitate, et lepore quodam descripsit. Sic igitur ille in. III. Tusculanarum quæstionum. Pulchritudo est apta figura membrorum cum coloris quadam suauitate. *Item. I. de Offi.* Vt pulchritudo corporis apta compositione membrorũ mouet oculos, & delectat hoc ipso, quòd inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum, &c.

Καὶ τὸ τέλος τῶν πρὸς τὸ τέλος αἱρετώτερον δοκεῖ εἶναι.

Adhæc, finis iis quæ ad finem pertinent, magis expetendus videtur.

Hic

14 Hic locus alio pœnè comprehenditur, qui paulò antè expositus est, cum docebatur, illud quod propter se expetitur, magis expetendum eo esse, quod propter aliud. Finis enim propter se expetitur, illud autem quod ad finem pertinet, propter aliud, nimirum propter finem. Sed eò fortasse ab illo discrepat, quòd ibi non ea quæ ad finem pertinent, cum fine comparabantur, sed cum iis quæ propter se, ea [a] vniuersè, quæ quouis modo propter alia expetuntur: non quòd illa quę propter se expetuntur, sint ea ipsa, propter quę expetantur quæ propter alia dicuntur expeti; nec quæ propter aliud expetuntur, propter aliud dicebantur expeti, quasi id ipsum esset eorum finis, immò propter aliud quidpiam. Hic verò finium, & eorum quæ ad ipsos referuntur, comparatio fit, in hunc modum videlicet. Sanitas magis expetenda est exercitationibus, inambulationibus, cibis, & omnino victus ratione: propterea quòd illa est finis, hæc autem illius gratia à nobis suscipiuntur. Præterea, felicitas magis expetenda est virtute, valetudine, diuitiis, & omnibus denique aliis bonis, quòd illa sit finis, hæc autem ad illam referantur. Hac eadem de causa præstat scire quàm discere; item, habituum munere fungi, quàm habitus possidere.

a *Superiorem locum esse latiorem, hunc autem angustiorem.*

ADNOTATIONES.

Adhæc, finis iis quæ ad finem.] Neque non idem est hic locus cum illo, qui paulò fusius in primo libro Rhetoricorum ita ab Aristotele exponitur: καὶ ἢ τὸ μὲν τέλος, τὸ δὲ μὴ τέλος. δ' μὲν γὰρ ἄλλου ἕνεκα, τὸ δὲ αὐτοῦ: οἷον τὸ γυμνάζεσθαι τοῦ εὖ ἔχειν τὸ σῶμα. *idest, [Nec non si alterum sit finis, alterum autem non sit: hoc enim alterius, illud sui ipsius gratia expetitur. verbi causa, exercitatio suscipitur bonam corporis habitudinem comparandi gratia.]*

Καὶ δυοῖν, δ' ἐγγιον τοῦ τέλους.

Et è duobus, id quod propius abest à fine.

15 Locus vtilis est, cum duo quę aliquem finem adiuuant, inter se comparantur. Ergo si duo sint, quæ ad eundem finem referantur: quod propius fini est, eo quod remotius, magis expetendum, magisque bonum est. Exempli gratia, valetudinis causa est tùm [a] capillum ponere, tùm etiam se exercere: sed quia corporis exercitatio propius abest à valetudine, & cū illa est [d] ἐγγίων, idcircò magis expetenda magisque bonum est. Quod enim est propinquius fini, eandem rationem videtur habere cum eo, quod sit inferior causa, quam habet finis cum hoc ipso: nam & hoc est illius quodammodo finis. Sic etiam muneris functio ex virtute, magis expetenda est habitu ipso: propinquior enim vitæ beatę, quæ est finis amborum. Eadem quoque de causa medicamenta conseruantia sanitatis, magis expetenda videri possunt efficiétibus: illa enim simul sunt cum sanitate, hæc ante sanitatem adhibentur. Præterea, ars equestris melior illa, quæ [b] in frenis conficiendis est occupata, cùm ambæ rem militare adiuuent: propinquior enim illi equestris. Item, fabri [c] tignarii artificium pręstat illi, quod materiam cædit, quamuis ambo vtilia sint ad extruendam nauim; & illa ars quę corpora exercet, medicinæ, cùm ambæ faciant ad bonum corporis habitum inducendum.

a *Idem Aristot. II. lib. Physi. 37.*

d ἐγγυτέρω. *sic & M. T. de Fato. Post autem causa fuit propior, & cū exitu iunctior.*

b *Ita & Aristot. initio ferè primi libri. Ethi. ad Nico.* ὅσαι δ' εἰσὶ τῶν τοιούτων, ὑπὸ μίαν τινὰ δύναμιν, καθάπερ ὑπὸ τὴν ἱππικὴν χαλινοποιητική, &c.

c τεκτονικὴ. *nam* τέκτονα *sic videtur vertere M. T. in Bruto, cum inquit. Sed Atheniensium quoque plus interfuit, firma tecta in domiciliis habere, quàm Mineruæ signum ex ebore pulcherrimū. tamen ego me Phidiam esse mallem, quàm vel optimum fabrum tignarium.*

ADNOTATIONES.

Et è duobus, id quod propius abest à fine.] Eundē hunc locum tradidit in primo libro de arte dicendi, cū inquit καὶ δυοῖν, τὸ ἐγγύτερον τοῦ τέλους. *quæ verba cùm accuratè ad modum & copiosè sint hic ab Alexandro explicata, nullam aliam locupletiorē explanationem requirunt: satis est eundem locum adnotasse.*

Καὶ ὅλως τὸ πρὸς τὸ τοῦ βίου τέλος, αἱρετώτερον μᾶλλον, ἢ τὸ πρὸς ἄλλο τι· οἷον τὸ πρὸς εὐδαιμονίαν συντεῖνον, ἢ τὸ πρὸς φρόνησιν.

Et omnino quod ad vitæ finem pertinet, magis expetendum est, quàm quod ad aliquem alium finem: vt quod ad vitam beatam pertinet, magis quàm quod ad prudentiam.

16 Quod ad perfectissimum & absolutissimum finem pertinet, magis expetendum est, quàm quod ad aliquem alium finem refertur. Perfectissimus autem & absolutissimus finis re uera est beatitudo, cùm omnia alia illuc spectent. quare si & aliarum rerum fines ad beatitudinem referuntur: patet, ea omnia, quæ ad quemuis alium finem pertinet, illis esse inferiora, quæ ad beatitudinem dirigũtur. ¶ Hic autem locus potestate & vi in proximo superiore continetur: nam cùm perfectissimus finis vnus sit, tùm a ea omnia, quæ aliarum rerum fines videntur esse, vltimi illius ac perfectissimi finis gratia existunt, tùm etiam illæ res, quę ad iam dictos fines referuntur: sed ipsa eò inter se differunt, quòd superiora ad perfectissimum finem propius accedunt, hæ verò longius ab illo distant. Beatitudo verbi causa, est finis perfectissimus: prudentia autem, quę & ipsa alterius cuiusdam rei finis est, beatitudinis gratia existit. Itaque prudentia, & ea quæ propter prudentiam à nobis fiunt, finem habent beatitudinem: verùm prudentia quidem est propinquior beatitudini, cùm hæc sit illius finis proximus; id autem quod ad comparandam prudentiam à nobis suscipitur, verbi gratia studia bonarum artium, proximum quidem finem habet, prudentiam; extremum verò, beatitudinem. Quamobrem cùm à beatitudine propius absit prudentia, quàm studia bonarum artium, & quæcunque prudentiam gignunt, iure optimo magis expetenda est. [Si quæratur igitur, sanitas ne, an diuitię magis sint expetendæ: cùm sanitas ad vitæ finem pertineat, nempe ad vitam beatam, diuitiæ autem eò spectent, vt nos actiones liberalitati consentaneas possimus præstare, quæ sanè & ipsę actiones ad vitam beatam referuntur: sanitas magis expetenda diuitiis ostendetur. Præterea, actio quę iustitiæ cõuenienter fit, magis expetenda est iis, quę prudentiam efficiunt: illa enim beatitudinẽ constituit, & ad ipsam refertur. Ope etiam huius loci probare licet, magis expetendã esse virtutem honore regio: virtutis namque finis est beatitudo, honoris autem quo afficiuntur reges, imperare aliquibus populis.

a καὶ τὰ ἄλλα ὅσα δοκεῖ τέλη ἄλλων εἶναι, τοῦ τελειοτάτου τέλους χάριν ἐστί, καὶ τὰ ὧν ἐστι τέλη, καὶ αὐτὰ τοῦ τελείου τέλους χάριν δηλονότι ὄντα. ita ex coniectura reposuimus, cùm cod. Med. ab impressis non differat.

ADNOTATIONES.

Et omninò quod ad vitæ finem.] Hic idem locus, paulò tamen breuioribus verbis, expositus est in. I. lib. de arte dicendi, vbi ait καὶ τὰ ἐν τέλει τοῦ βίου· τέλη γὰρ μᾶλλον τὰ πρὸς τῷ τέλει. idest, [Et quæ in ipso vitæ fine manent: nam quæ fini hærent, magis redolent naturam finis.] Ex his autem verbis liquidò cognosci potest, veram esse Alexandri sententiam, cum in suo cõmentario tradit, locum hunc qui in Topicis expositus est, atque in Rhetoricis repetitus, eandem vim & facultatẽ habere cum proximo superiore, nec omninò ab illo discrepare. Nam cum dicat Aristot. [quæ enim fini hærent, et illi iuncta sunt,] propinquitas intelligitur: quæ fit, ut ea sint magis expetenda, quàm quæ ab eodem longius distant, cùm illa finis naturam magis obtineant, & finis sit magis expetendus, quàm quæ ad finem referuntur. Nihil aliud autem in loco suprà exposito docebatur, nisi illud ex duobus magis expetendum esse, quod fini sit propinquius.

αἱρετώτερον μᾶλλον] Hæc loquendi forma non est inusitata bonis Græcæ linguæ auctoribus, nec illud μᾶλλον, quod in omnibus, quos quidem viderim, codicibus tùm manu scriptis tùm impressis, retinetur, vllo modo est inducendum tanquã ociosum & superuacaneum

tandem: sæpè enim ita loquitur Aristot. μᾶλλον κάλλιον, μᾶλλον ξυμφορώτερος, μᾶλλον αἱρετώτερον. *& Demosthenes. III. Olynthi. inquit:* μᾶλλον φοβερώτερον: ἐστιν. *Item Isocrat. in Helene,* ἡγήσατο κρεῖττον εἶναι τεθνάναι μᾶλλον. *& alibi,* ὥς οἱ τυχόντες πολλῷ μᾶλλόν εἰσι ζηλωτότεροι τῶν μεγάλας πόλεις κατασχόντων. *Alia etiam exempla afferri possent.*

τὸ γὰρ πρὸς εὐδαιμονίαν ἐκεῖνο αἱρετώτερον] *Hæc verba, quæ in codice Basiliensi adduntur post illud,* ἡ δὲ πρὸς φρόνησιν, *cùm in quibusdam alijs exemplaribus non reperiantur, & sint planè ociosa, vt si quis attendat, facilè iudicauerit, ab aliquo imperito librario fuisse intrusa suspicatus sum: quare ego illa reieci, nec latinè reddidi. Sed exemplar tamen Abbat. Flor. ea retinet.*

Καὶ τὸ δυνατὸν τοῦ ἀδυνάτου.

Et quod fieri posſit, eo quod non posſit.

17 Hoc non eſt ſimpliciter & abſolutè magis expetendum, ſed homini qui optat & expetit: locus autem nullam difficultatem habet. Nam ſi eorum, quæ inter ſe conferuntur, alterum fieri non posſit, alterum verò posſit: illud quod fieri & obtineri poteſt, magis expetendum eſt homini, qui alterum obtinere nō poteſt. Quoniam verbigratia, in hominem cadit longinquitas vitæ, immortalitas non cadit: homini magis expetenda longinquitas vitæ, quàm immortalitas. eodemque modo cōfirmari poteſt, perturbationum animi mediocritatem magis homini expetendam earundem vacuitate. Quanquam immortalitas, aut perturbationum animi vacuitas, ſua vi & abſolutè magis expetenda eſt, quòd videlicet præſtantiori naturæ tribuatur, nempe Deo. Ariſtoteles enim ſe intelligere, quæ obtineri non posſunt, ea eſſe magis expetenda non quidem iis, à quibus obtineri non posſunt, ſed ſimpliciter & abſolutè, eò oſtendit, quòd comparationem ex eo, quod dicimus eſſe magis expetendum, fecit etiam de illo quod obtineri non poteſt: id enim magis expetendum eſt. Illud igitur quod obtineri non poteſt, ſua ui & abſolutè magis expetēdum eſſe eo, quod poteſt, probare posſumus: homini verò qui optat & expetit, magis expetendum eſt quod obtinere poteſt.

ADNOTATIONES.

Et quod fieri posſit, eo quod non posſit] Hic idem locus repetitur in. I. lib. Rhetoricorū, sed tamē paulò explicatius, cū inquit. καὶ τὸ δυνατὸν τοῦ ἀδυνάτου: τὸ μὲν γὰρ αὐτῷ, τὸ δὲ οὔ. *hoc est,* [*Et quod fieri poteſt, quàm quod non poteſt: illud enim nobis conducit, hoc non conducit.*

Εἰ δύο ποιητικῶν ὄντων, οὗ τὸ τέλος βέλτιον, καὶ αὐτὸ βέλτιον.

Præterea, è duobus quæ ſint efficientia, cuius finis melior, id etiam melius.

18 Locus hic propter breuitatem obſcurè traditus eſt: ſed tamen ita ſe habet. Si duo fuerint, quæ duorū finium ſint [a] efficiētia, cuius finis melior magiſque expetendus, id etiam melius. Ita igitur probari poteſt, ſtudia bonarum artium meliora eſſe exercitationibus corporis: exercitationes nāq; valetudinis eſficiētes ſunt, ſtudia verò illa ſapientię: ſapientia autē melior magiſq; expetenda valetudine. Item, ſe exercere quàm quæſtum conſequi pręſtat: hoc enim diuitias, illud valetudinem comparat, quæ diuitiis multò melior eſt. [b] Conſtat autem verum eſſe hunc locum, ſi ambo efficientia accipiantur, quæ proprios fines ſimili modo efficiant. Nam ſi alterum [c] proximè illū finem efficiat qui minus eſt expetendus, alterum autem efficiens ab eo qui magis eſt expetendus, longius di

[a] ποιητικά. *causæ efficiētes vocantur à M. Tull. tùm in Topi. tùm in lib. de Fato: in Partit. autē, conficientes.*

[b] δῆλον δὲ ὅτι εἰ ἀμφότερα ποιητικὰ τῶν οἰκείων τελῶν λαμβάνοιτο ὁμοίως, ὁ τόπος ὑγιής. *hæc videtur eſſe germana scriptura, quam nos ex ingenio repoſuimus: nam cod. Med. vulgatā tuetur.*

[c] τὸ ἐγγὺς ποιητικόν προσεχῶς. *causa proxima & continens appellatur à M. T. in lib. de Fato: inquit. n. Sed ſi concedunt anteire viſa, nec tamen fato fieri aſſenſiones, quòd proxima illa & cōtinēs cauſa nō moueat aſſenſionē, vide ne idem dicāt.*

ſtet: non omninò quod magis expetendum finem efficit, eſt etiam magis expetendum. Neque enim magis expetendum eſt capillum ponere, quàm quęſtum cõſequi, licet illud ad valetudinem, hoc ad diuitias nos perducat: verùm capillum ponere longius abeſt à valetudine, quàm quęſtum conſequi à diuitiis.

ADNOTATIONES.

Preterea, è duobus que ſint.] Eandem hunc locum cõmutatis verbis exponit in primo lib. de arte rhetorica, vbi inquit. καὶ τὰ μείζονος ἀγαθοῦ ποιητικὰ, μείζω. *hoc eſt, [Et que maioris boni efficientia ſunt, maiora & ipſa bona ſunt. Quemadmodum autem hic auxilio vltimi ac finis, rerum efficientium vim & magnitudinem cognoſci docet: ſic proximè infrà tradit, cognitis efficientibus vltimi quoque magnitudinem intelligi: atque ita ſuperiorem locum* ἀντιστρέφων *commonefacit: inquit enim.* καὶ οὗ τὸ ποιητικὸν μεῖζον, ὡσαύτως· εἰ γὰρ τὸ ὑγιεινὸν αἱρετώτερον τοῦ ἡδέος καὶ μεῖζον ἀγαθὸν, καὶ ἡ ὑγίεια τῆς ἡδονῆς μείζων. *ideſt, [Et cuius efficiens eſt maius, eodem modo: nam ſi ſalubre magis expetendum iucundo maiuſque bonum ſit, & ſanitas voluptate maior erit.]*

Ποιητικοῦ δὲ καὶ τέλους, ἐκ τοῦ ἀνάλογον, ὅταν πλείονι ὑπερέχῃ τὸ τέλος τοῦ τέλους, ἢ ἐκεῖνο τοῦ οἰκείου ποιητικοῦ· οἷον εἰ ἡ εὐδαιμονία πλείονι ὑπερέχει ὑγιείας, ἤπερ ὑγίεια ὑγιεινοῦ. ὥστε τὸ ποιητικὸν εὐδαιμονίας βέλτιον ὑγιείας. ὅσῳ γὰρ ἡ εὐδαιμονία ὑγιείας ὑπερέχει, τοσούτῳ καὶ τὸ ποιητικὸν τῆς εὐδαιμονίας τοῦ ὑγιεινοῦ ὑπερέχει. ἡ δὲ ὑγίεια τοῦ ὑγιεινοῦ ἐλάττονι ὑπερέχει, ἢ [a] ἡ εὐδαιμονία τῆς ὑγιείας, ὥστε πλείονι ὑπερέχει τὸ ποιητικὸν εὐδαιμονίας τοῦ ὑγιεινοῦ, ἤπερ ἡ ὑγίεια τοῦ ὑγιεινοῦ. δῆλον οὖν, ὅτι αἱρετώτερον τὸ ποιητικὸν εὐδαιμονίας τῆς ὑγιείας. τοῦ γὰρ αὐτοῦ πλείονι ὑπερέχει.

a hec verba nõ habẽtur in cod. Abb. Flor. ſed tamen in nõnullis alijs reperiuntur, que & mihi probantur.

Quòd ſi alterum ſit efficiens, alterum autem finis, ex proportione, cum pluribus partibus finis finem exuperat, quàm ille ſuam cauſam efficientem. Exempli gratia, ſi beatitudo pluribus partibus ſanitatem exuperat, quàm ſanitas id, quod eſt ſalubre: quod beatitudinem efficit, melius erit quàm ipſa ſanitas. Quanto enim beatitudo ſanitati præſtat, tanto etiam beatitudinis efficiens præſtat ei, quod eſt ſalubre. Atqui ſanitas minore interuallo præſtat ei quod eſt ſalubre, quàm beatitudo ſanitati: ergo beatitudinis efficiens maiore interuallo præſtabit ei quod eſt ſalubre, quàm illi eidem ſanitas. Ex quo perſpicuum eſt, beatitudinis efficiens magis expetendum eſſe ſanitate, cùm maiore interuallo eidem præſtet.

19 Cùm in proximo ſuperiore loco tradidiſſet, præſtantioris finis efficiens eſſe prę̨ſtantius, perinde ac fines & eorum efficientia proportionem inter ſe habeant, & quanto finis finem excedit, tanto etiam efficiens excedat efficiens: hac nunc proportione vtens, locum quẽdam nos docet, cuius auxilio poſsimus finem alicuius rei cum cauſa efficiente alterius finis comparare. Scitè autem & eleganter admodum hunc locum inuenit. Inquit igitur, in hiſce etiam facilè nos ex proportione eſſe deprehenſuros, quid præſtet magiſque expetendum ſit. Nã ſi accipiamus tùm finẽ propriũ cauſæ efficiẽtis, quę cũ fine cõparatur, tùm cauſam efficientẽ propriã illius finis, qui cũ efficiẽte cauſa cõfertur; deĩde verò reperiamus, quanto excedat finis efficientis cauſæ, eum finem, qui cum illa comparatur; patet tum nos eſſe intellecturos, quanto efficiens cauſa quę comparatur, ſuperet eam quæ eſt efficiens finis, quo cum illa ſuperior comparatur. vt enim ſe habet finis, ita & illius cauſa efficiens, quemadmodum in proximo

ſuperiore loco traditum eſt. His ita conſtitutis, ſi finis finem pluribus partibus ſuperet, quàm finis ſuperatus ſuam cauſam efficientem: & cauſa efficiens f præſtãtis finis, longè maiore interuallo præſtabit efficiẽti finis ſuperati, quàm hic finis ſuemet efficienti cauſę. Si enim, quãto finis finẽ exuperat, tanto etiam cauſa efficiens ſuperat efficientem; pluribus autem partibus finis finẽ exuperat, quàm finis ſuperatus ſuam cauſam efficientem: iam manifeſtum eſt & cauſam efficientem maiore interuallo præſtituram eſſe efficienti, quàm propriũ ipſius finem. Quod autem maiore interuallo eidem præſtat, multò melius eſt quàm id, quod minore. quare & cauſa efficiens præſtabit fini, quo cum comparabatur, atque eo magis expetenda erit. ¶ Sit autem exempli loco cauſa efficiens beatitudinis, prudentia: & quæratur, prudẽtia ne quæ beatitudinẽ efficit, an ſanitas quæ & ipſa finis eſt, magis ſit expetenda. Si accipiamus igitur cùm beatitudinem, cuius prudentia eſt cauſa efficiens, tùm etiam exercitationem, quæ ſanitatem finem exiſtentem facit: vt ſe habuerit finis cum fine, nempe beatitudo cum ſanitate, ita etiam ſe habebit cauſa efficiens cum efficiente, prudentia ſcilicet cũ exercitatione. Nam vt ſe habet beatitudo cum prudentia propria illius cauſa efficiente, ita etiam ſanitas cum exercitatione, quæ ſanitatem facit. Quod cùm ita ſit: ergo & a quemadmodum antecedens ſe habet cum antecedente, beatitudo nimirum cum ſanitate, ſic & conſequens cum conſequente, nempe prudentia cum exercitatione. Quanto igitur præſtantior eſt beatitudo ſanitate, tanto etiã erit prudentia exercitatione. His ita poſitis, perquiramus rurſum, an quanto vincit beatitudo ſanitatem, tanto etiam vincat ſanitas exercitationem, quæ illius eſt cauſa efficiens, vel plus, vel minus. Si plus beatitudo ſanitatem vincit, quàm vincat ſanitas exercitationem: prudentia quoque beatitudinis efficiens cauſa, plus quàm ſanitas ipſa exercitationem vincet. at ſi pluribus partibus idẽ ſuperat, iam & ſanitate magis expetendam eſſe perſpicuum eſt: cùm enim pluribus partibus idem ſuperet, hanc etiam ſuperauerit. Quod ſi beatitudo æquè vincit ſanitatem, ac ſanitas exercitationem: prudentia quoque æquè ac ipſa ſanitas, exercitationem vincet. ſi æquè, ſimiliter erit expetenda atque ipſa ſanitas. Sin autem beatitudo minus vincit ſanitatem, quàm ſanitas exercitationem: minus etiam prudentia vincet exercitationem, quàm ſanitas. ſi minus, minus etiã erit expetenda, vt perſpicuum eſt. Atque hoc ſanè modo oſtenſum erit, finem, nempe ſanitatem, minus expetendum eſſe cauſa efficiente, nimirum prudentia, quæ cum illo comparabatur. ¶ Beatitudinem verò maiore interuallo præſtare ſanitati, quàm præſtet ſanitas exercitationi, eò doceri b poteſt, quòd beatitudo non ita requirit ſanitatem, vt ſanitas exercitationem: exercitatio namq; ſanitatem efficit, ſanitas autem, quàmuis beatitudinem adiuuet, non eſt tamen illius efficiens cauſa, ſed longius ab ea diſtat: quo fit, vt beatitudo maiore interuallo ſanitati prę̃ſtet, quàm ſanitas exercitationi. Quare & prudentia pluribus partibus exercitationem uincet, quàm ſanitas. quod autem eandem rem bonitate plus uincit, magis expetendum maiuſque bonum eſt. [Tantum verò abeſt, vt hic locus ab Ariſtotele inuentus ſit ocioſus & ſuperuacaneus, vt etiam ab eodem validis iiſque breuibus rationibus fuerit explanatus.

Ἔτι δ' κάλλιον καθ' αὑτὸ, καὶ τιμιώτερον, καὶ ἐπαινετώτερον· οἷον φιλία πλούτου, καὶ δικαιοσύνη ἰσχύος. τὰ μὲν γὰρ καθ' αὑτὰ τῶν τιμίων καὶ ἐπαινετῶν· τὰ δὲ οὐ καθ' αὑτὰ, ἀλλὰ δι' ἕτερον. οὐδεὶς γὰρ τιμᾷ τὸν πλοῦτον δι' αὐτὸν, ἀλλὰ δι' ἕτερον. τὴν δὲ φιλίαν καθ' αὑτὸ, καὶ εἰ μηδὲν μέλλει ἡμῖν ἕτερον ἀπ' αὐτῆς ἔσεσθαι.

f *ὑπερέχον præſtans; ὑπερεχόμενον ſuperatũ, ex Cicerone reddidimus.*

a *Hoc eſt τὸ ἀνάλογον, cum ſcilicet antecedens vt antecedens comparatur cum antecedente vt conſequente, & conſequens vt antecedens cũ conſequente ut cõſequente: de quo Euclides V. li. Geom. element. ἐν τοῖς ὁρισμοῖς. 4.*

b *Beatitudo plus ſuperat ſanitatem, quàm ſanitas exercitationem, quia ſanitas magis requirit exercitationem, quàm beatitudo ſanitatem.*

Præterea, quod per se est honestius, aut maiore honore dignum, aut laudabilius: vt amicitia opibus, iustitia viribus corporis. Ex his enim alia sunt per se honore digna & laudabilia, alia nõ per se, sed propter aliud. Nam opes quidem nemo colit propter se, sed propter aliud: amicitiam autem propter se, etiam si nullum ex ea fructum sit percepturus.

Amicitiam sua sponte, vi sua, ex se, & propter se expetendam esse, docet plenissimè M. T. in II. lib. de Fin. cõtra Torquatum; item in lib. de Amicit.

20 His vocibus, honestum, honore dignum, laudabile, communiter & in lata significatione nunc vtitur Aristoteles. Nam cum ipse [a] alibi bona diuideret, ea quidem in bonis honore dignis numerari docuit, quæ principii rationem & naturam obtinent, ceu Deos immortales, parentes, beatitudinem: honesta verò & laudabilia esse, virtutes, & quæ ex virtutibus proueniunt actiones. Bona autem vt potestates ea esse monuit, quibus benè & malè vti possumus: illa verò [b] adiuuantia, quæ hæc bona efficiunt, ad easque nobis conducunt. Sed nunc bona quoque vt potestates, honesta, laudabilia, & honore digna esse, videtur intelligere. [Locus autem ita se habet. Quod per se, idest sua vi & natura, est honestius aut maiore honore dignum, aut laudabilius, magis expetendum eo est, quod sua ui & natura sit minus tale. Honestius autem quiddam sua ui, maioreque honore dignum ac laudabilius est amicitia diuitiis; & iustitia corporis robore. nam diuitiæ & corporis robur, quamuis per se bona & honesta videantur esse, digna item quæ in honore ac pretio habeantur, tamen cum expetuntur, ad aliud referuntur; diuitię quidẽ ad [c] vsum, corporis autem robur eò, vt nos aliquid nobis propositum sine vllo impedimento faciamus: amicitia autem propter se petitur & colitur, similiter & iustitia. ¶ Sed quæsierit aliquis, quid discriminis intercedat inter hunc locũ & illum, quo paulò suprà exposito docebatur, quæ per se expetuntur, magis expetenda iis esse, quæ ex accidente; aut quæ propter se, iis quæ propter aliud. An ibi quidem ea quæ propter se, iis quæ propter aliud expetuntur, magis expetenda esse asserebat; & quæ per se, iis quæ ex accidente, comparando bona adiuuantia cum iis, quæ propter se expetuntur: neque enim iudicandi sunt loci ab exemplis. Hic autem, ex bonis quę honesta sunt & in honore habentur, ea magis expetenda esse inquit, quę magis propter se sint talia, atque etiam laudabilia: quasi [d] ambo quæ inter se comparãtur, habeant illud, propter se, sed magis hæc quàm illa. [Atque hoc sanè modo discrepabit etiam hic locus ab illo, quo tradebatur, id quod natura existit, magis expetendum eo esse, quod natura non existit: vtraque enim hæc, quæ hic inter se comparantur, natura existunt. nam amicitia & iustitia eò magis expetenda sunt diuitiis & corporis robore, quòd magis propter se honesta sint & laudabilia maioreque in honore habeãtur, cùm tamen & illa sua ui & natura sint talia, atque etiam expetenda. ¶ Quod autẽ inquit, *nemo enim colit diuitias propter se, sed propter aliud*, non tollit, quin diuitiæ sua ui & natura sint expetendæ. nam [e] quatenus sunt instrumentũ, eiusmodi sunt & ad aliud referuntur: sed quatenus in earum natura id positum est, vt bonis viris eę sint instrumentum ad præstandas actiones virtuti consentaneas, nec instrumẽtum à bonis viris fit tale ad has præstandas actiones, per se sunt bonę & expetendę: habent enim sua ui & natura hoc, vt sint vtiles. Diuitias autem id à bonis viris nõ consequi, vt sint vtiles, ex eo patet, quòd illi non efficiunt [f] paupertatem talem, quamuis & ea vtantur; & quòd paupertati diuitias antepònunt.

[a] I. lib. Ethi. ad Nicom. cap. 12.

[b] ὠφέλιμα. suprà autẽ commen. 6. bona quæ prosunt, ex Cicerone reddidimus.

[c] Vnde Mar. Tull. in Lælio inquit. Diuitiæ opportunæ sunt vt vtare, opes vt colare, honores vt laudere.

Dubitatio.

Solutio.

[d] Bona ut potestates et instrumenta, cuiusmodi sunt diuitiæ, & propter se & propter aliud expeti, monuit nos suprà Alexan. cõment. 6. Illas autem voces, καθ᾽ αὑτό, et δι᾽ αὑτό, uidetur hic Aristot. pro eodem vsurpare.

[e] Idem supra cõmen. 7.

[f] paupertas sua natura est malum, non ab hominibus talis redditur.

ADNOT.

ADNOTATIONES.

Præterea, quod per se est κάλλιον] Non discrepat omnino hic locus ab illo, qui in. I. li. Rhetoricorum ita ab Aristotele describitur. καὶ τὸ κάλλιον τοῦ ἧττον καλοῦ: τὸ γὰρ καλόν ἐστιν ἤτοι τὸ ἡδὺ, ἢ τὸ καθ' αὑτὸ αἱρετόν. hoc est, [τὸ κάλλιον anteponendum est minus καλῷ: nam τὸ καλὸν est, aut id quod suaue, aut id quod propter se expetendum est.] Vocabulum καλὸν apud Græcos, et id quod suaue ac formosum est, significat, vt constat, Eductum à verbo καλεῖν, quasi id quod formosum est, homines ad se vocet atque alliciat; & id quod est honestum dignitatisque plenũ: vnde τὰ καλὰ sæpius ab Aristotele in Ethicis dicuntur ea, in quibus considerandis ciuilis scientia versatur: quæ profectò sunt honestæ & præclaræ actiones. Quomodo autem differat hic locus in Topicis expositus ab illo, quo paulò suprà docebatur, quæ propter se expetuntur, magis expetenda iis esse, quæ propter aliud, subtiliter & accuratè explicat Alexander in suo commentario: sed eius verba à studioso lectore diligenter sunt perpendenda.

g Ex cõmentario Alexandri in primum librũ Priorũ Analy. sect. 11.

Et iustitia corporis robore] καὶ δικαιοσύνη ἰσχύος. sic habent nonnulli codices, quã lectionem secutus sum. Nam quod in alijs legitur, etiam in eo qui seruatur in Abbat. Florent. καὶ δικαιοσύνη ὑγιείας καὶ ἰσχύος, cùm illud ὑγιείας non agnoscat Alexãder in suo commentario, nec valetudo satis commodè possit hoc in loco comparari cum iustitia, non probo, & vocem ὑγιείας ab aliquo fuisse inculcatam existimo.

Ἔτι ὅταν δύο τινὰ αὐτοῖς σφόδρα ᾖ παραπλήσια, καὶ μὴ δυνώμεθα ὑπεροχὴν μηδεμίαν συνιδεῖν τοῦ ἑτέρου πρὸς ἕτερον, ὁρᾶν ἀπὸ τῶν παρεπομένων. ᾧ γὰρ ἕπεται μεῖζον ἀγαθὸν, τοῦθ' αἱρετώτερον. ἂν δ' ᾖ τὰ ἑπόμενα κακὰ, ᾧ τὸ ἔλαττον ἀκολουθεῖ κακὸν, τοῦθ' αἱρετώτερον. ὄντων γὰρ ἀμφοτέρων αἱρετῶν, οὐδὲν κωλύει δυσχερές τι παρέπεσθαι. διχῶς δὲ ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι ἡ σκέψις: καὶ γὰρ πρότερον καὶ ὕστερον ἕπεται. οἷον τῷ μανθάνοντι, τὸ μὲν ἀγνοεῖν, πρότερον: τὸ δὲ ἐπίστασθαι, ὕστερον. βέλτιον δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὸ ὕστερον ἑπόμενον. λαμβάνειν οὖν τῶν ἑπομένων, ὁπότερον ἂν ᾖ χρήσιμον.

Porrò autem si duo quædam sint valde inter se similia, nec, quid alterum alteri præstet, perspicere possimus, videndum est ex consequentibus. Id enim, quod maiora bona consequuntur, magis expetendũ est. Quòd si, quæ cõsequuntur, sint mala, cui minus malũ comitatur, id etiã magis expetendũ est: nihil enim prohibet, quominus, quamuis ambo sint expetenda, aliquid molestiæ consequatur. Animaduersio autem consequentium duobus fit modis: quandoquidem & id quod est prius, & id quod posterius, dicuntur consequi. veluti hominem qui discit, ignorare quidem, prius; scire autem, posterius. Plerumque verò melius est id, quod posterius consequitur. Ex consequentibus autem illud sumendum est, quod fuerit vtile.

21 Exponit nobis locum à consequentibus. Itaque si ea, quę inter se comparamus, quærentes vtrum eorum magis sit expetendũ, similia inter se fuerint, ideoque quid præstet, non ita facilè iudicari ac deprehendi possit: ex consequentibus faciundũ esse de illis iudiciũ inquit: nam quod maiora bona consequũtur, si cetera paria sint, magis expetendum est. Quòd si, quæ consequuntur, sint mala, quippe cùm nihil impediat, quominus aliquas res expetendas cõsequantur molesta quædam & fugienda: id magis expetendum erit, cui minus malum comitatur. ¶ Quærẽtes verbi causa, discere ne, an se exercere, sit melius magisq; expe

tendum: [a] si sumamus quæ illa consequuntur, consequitur autem vt cum aliquis discit, postea sciat; cum verò se exercet, benè valeat: maius bonum magisq; expetendum esse statuemus discere, quàm se exercere. Si quæramus rursum, præstet ne beneficiũ dare, an accipere: quia ex illo sequitur vt perinde affecti simus [b] ac Dii ipsi, & qui sunt locupletes, hoc verò hominum est & egentium, beneficium dare quàm accipere, magis expetẽdum esse affirmabimus. Sic etiã ostendetur, magis expetendam continentiam patientia: quandoquidem [c] ex illa sequitur vt vincamus, ex hac vt non superemur; præstat autem vincere, quàm non superari. ¶ Quòd si, quæ consequuntur, sint mala: quid magis expetendum sit, ex minore malo diiudicabimus. Si quæramus igitur, sit ne magis expetendum curari, an nauigare: quoniam ex hoc sequitur nauseare, ex illo aduri & secari, aduri autem maius est malum quàm nauseare: nauigare quàm curari, magis expetendum esse iudicabimus. Verùm de hoc eodem exemplo allato possumus etiã ex consequentibus bonis iudicium facere, quare cùm ex curatione sequatur valetudo, ex nauigatione autem vel lucrum, vel vt [d] quàm plures regiones visantur, quæ quidem res cum valetudine non sunt conferendæ: ob id curari magis quàm nauigare expetendum erit. Ope etiam huius loci probare possumus, vitã doctrinæ studiis & sapientiæ deditam magis expetendam esse ea, quę in actione versatur: quandoquidem illam hęc consequuntur, despici, negligi, cõtemni; hanc verò, inuideri, circumueniri, quæ profectò maiora sunt mala, quàm despici & contemni. Eadem quoque ratione concludemus, magis expetendam existimationem diuitiis: ex illa enim id sequitur mali, elatos spiritus gerere, & stultè de se sibi persuadere; ex his verò, [e] contumelia aliquem afficere, quòd sine dubio maius est malum. Atque hoc sanè modo ostendere licet, iis, quę cùm sint expetenda, inter se comparantur, aliqua mala comitari. ¶ Possumus autem & ex consequentibus malis demonstrare, cum quędam sunt fugienda, alterum alterum magis fugiendum esse. Quia igitur faciendis iniuriis in aliorum odium venimus, accipiendis autem misericordiam consequimur: accipere quàm facere iniuriam minus fugiendum erit, cùm maius sit malum odio haberi, quàm misericordiam consequi. Prętèrea, si propinquos sibi vicissim insidias struere maius malum est, quàm alienos; ex seditione autem sequitur, vt propinqui sibi vicissim insidias struant, ex bello, vt alieni: bellum gerere minus fugiendum erit, quàm seditionem concitare. Eodem quoque pacto colligemus, insaniam minus malum esse, quàm iram: ex illa enim sequitur [f] ἀτυχεῖν, idest esse infortunatum, & casu inopinato alicui nocere; ex hac ἁμαρτάνειν, hoc est peccare, quod sanè maius est malum, quàm esse infortunatum. ¶ Discrimen autem quoddam ipse exponit, quod inter ea intercedit, quæ sunt consequentia: alia enim tempore antecedunt iis, quorum dicuntur consequentia, alia posterius consequuntur. Ac plerumque quidem ea quę posterius res expetendas consequuntur, meliora sunt iis, quæ prius. perceptionem namque alicuius artis, prius quidem consequitur ignoratio (si enim quis percipit artem & discit, iam ignorabat, cùm consecutio in hypothesi vim habeat) posterius autem scientia: nam si didicit & artem percepit, iam scit. Similiter eum qui à medicis curetur, consequitur primùm ipsum ægrotare (nam si curatur, ęgrotat) postea autem, valere. si enim curatur, valetudinem recuperabit. Et eum qui pecunias quærat, cõsequitur primùm ipsum pauperem esse; postea verò, pecunias possidere. Illa item quæ generantur, antea non esse, postea esse consequitur. Contrà autem se res habet in interitu, atque omninò in iis, quę sunt fugienda. morbo namque vt prius quiddam comita

tur

a καὶ τὸ ἀντιδιαιρ τοῦ διαιρουμένου. *hæc verba, quæ nullũ sensum habent, & ab aliquo fortasse hic fuerunt adposita, non expreßi, mecum facit cod. Medic.*

b Vide Cicero in orat. pro Q. Ligario inquit: Homines ad deos nulla re propius accedere, quã salutẽ hominibus dãdo. & quidam incertus auctor, homines μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς μάλιστα ait, ὅταν εὐεργετῶσιν.

c Ex Aristot. VII lib. Ethic. cap. VII. vbi eadem verba ponuntur.

d ἱστορία.

e Diuites enim, vt etiã adolescentes, sunt ὑβρισταὶ, id. contumeliosi, teste Aristotele II. libr. rheto. cap. III.

f ἀτύχημα *est, vt declarat Arist. V li. Ethi. cap. 8. & I. lib. Rhetor. cap. 35. cum præter rationẽ & inopinatò damnum infertur, & omninò cum causæ principiũ non in ipso mali auctore est positum:* ἁμάρτημα *verò, cum nos nõ aduersante quidẽ ratione, sed tamen non malitiosè nocemus. Alex. autem hoc in loco fortasse fallitur: est enim* ἀδίκημα, *non* ἁμάρτημα, *cũ quis ira percitus, aut etiam fortasse insania & furore impulsus, cuipiam detrimentum importat, quẽadmodum in indicatis locis admonet Aristoteles.*

tur valetudo, vt posterius autē interitus: & amisioni vt prius possesio, vt posterius egestas. Præterea, illos qui mancipio dantur, sequitur prius fuisse liberos, postea seruire. Quamobrem sunt etiam nonnulla, in quibus id quod prius consequitur, melius est: id quod posterius, deterius. ¶ Duplici autem consequētium genere exposito, illud semper consequens sumendum esse inquit, quod ad [g] propositum confirmandum sit vtile. Nam per ea quidem bona quæ posterius consequuntur, discere quàm curari magis expetendum esse probabimus: ex illo nanque scientia, ex hoc valetudo consequitur, quę cum scientia non est conferenda: & scire quàm benè valere; [h] propterea quòd ex eo animum probè affectum esse sequitur, ex hoc corpus rectè se habere, quod cum illo non est comparandum. Ex malis autem quæ postea consequuntur, demonstrabimus, præstare doctrinæ studiis & sapientiæ deditum esse, quàm corporis viribus valere: siquidem ex eo id sequitur mali, [i] res necessarias negligere & ignorare; ex hoc, audacem esse atque iniustum, quod profectò maius est malum, quàm res necessarias negligere & ignorare. Ex bonis autem & malis quæ postea consequuntur, doceri potest, præstare pugnando mori, quàm fuga capta seruire: iis enim, qui in pugna occubuerunt, gloria quidem tanquā bonum comitatur, misericordiā autem consequi, tanquā malum: eos verò, qui se in fugam dederunt, vita vt bonum, seruitus vt malum consequitur. [l] quare si gloria maius est bonum quàm vita, & misericordiam consequi minus malum quàm seruitus: vtraq; ex parte præstabit pugnando mori, quàm fugam capiendo seruire. Sed ex bonis quę prius cōsequuntur & tempore antecedunt, possumus rursus confirmare, discere quàm curari magis expetendum esse. nam cū discimus & aliquam artem percipimus, illi perceptioni antecesit consultatio vindicādi se ab ignoratione; cum autem curamur, curationem antegressa est consultatio liberandi se à morbo: atque vtraque hæc cùm sint expetenda, magis tamen expetenda est deliberatio vindicandi se ab ignoratione: ex quo efficitur, vt illud etiam magis sit expetendum, cui hæc deliberatio comitatur & tempore antecedit. At enim cōtrà se habent mala, quæ illis prægrediūtur: nam perceptioni alicuius artis prægreditur ignoratio, curationi morbus, qui est minus malum quàm ignoratio. quāobrem hac ex parte videri posset magis expetendum curari, quàm discere & aliquā artem percipere. [m] An hæc non dicuntur propriè consequentia: idcircoque curari & discere sub illo loco reponi possunt, qui statuit id, cuius ope maiore malo quis liberatur, magis expetendū eo esse, cuius beneficio ex minore euadit. [Sed quò commodius propositum nostrum confirmemus, possumus etiam permutatim sumere cōsequentia: hoc est, vnius rei id, quod prius cōsequitur; alterius id, quod posterius Scientiam igitur magis expetendam voluptate ostendemus, si sumamus scientię quidem id, quod ei prius comitatur, nempe discere; voluptatis autem id, quod pòst illam consequitur, nimirum potitum esse & voluptatem percepisse: cùm enim magis expetendum sit discere quàm potitum esse, magis etiā expetenda erit scientia voluptate.

ADNOTATIONES.

Animaduersio autem consequentium] *Omnia, quæ ad huius loci intelligentiam pertinent, studiose diligenterque adnotauit vir litterarum laude clarissimus P. Victorius in suis commentariis in Rhetoricam Aristotelis, ad illum locum primi libri, vbi auctor inquit.* ἀκολουθεῖ δὲ διχῶς· ἢ τὸ ἅμα, ἢ ὕστερον. *idest* [*Consequuntur autē duobus modis: aut enim eodem tempore, aut posterius. Docet enim, cur in Topicis Aristot. relictis iis, quæ vnà & eodem tempore comitantur alicui rei, præteritum & futurum tempus tan-*

g πρὸς τὸ τοῦ προκειμένου δεῖξιν. *Legendū est* προκειμένου, *non* ὑποκειμένου, *vt & cod. Medic. habet.* [*h* ἐπεὶ τῷ μὲν ἕπεται τὸ εὖ διακεῖσθαι τὴν ψυχήν, τῷ δὲ, *etc. ita ex ingenio emendauimus: quod postea confirmauit cod. Me.* [*i Qui.n. ingenuis studijs atque artibus delectantur, non uictum, non uestitum, nō alium necessariū uitæ cultum ac paratū requirūt.*

l εἰ δὴ καὶ ζωῆς ἀπληστία. *sic legendum videtur, non* ζωῆς ἀπληξίας, *ut antea legebatur. Sed nostræ castigationi adstipulatur cod. Medic.*

Enstasis.

Solutio.

m neque enim satis aptè quæ tempore antecedūt, possunt vocari ἑπόμενα, *sed potius* ἀκόλουθα, *id. comitantia, siue adiuncta, vt Quintilia. vocat. Aristot. tamen hanc horum nominum distinctionem neglexit; & verbo* ἀκολουθεῖν *ἀντὶ τοῦ* ἕπεσθαι, *& cōtrà, vsus est.*

tium posuerit eorum, quæ dicuntur consequi, contra ac in illo primo libro Rhetoricorum fecerit: statuitque tandem hoc ideò ab Aristotele factum fuisse, quòd ea quæ præsentis temporis sunt, eiusdem generis videantur esse cum illis, quæ antecesserunt. Totam hanc rem copiosè atque eleganter explicat ibi doctissimus, & nunquam satis laudatus vir: quare studiosus adolescens ad illius commentarios se conferat. [Sed ut locus, qui ab Aristot. inuentus, & ab Alexandro multis exemplis declaratus fuit, adhuc fiat illustrior, ego illud adnotare non grauabor, M. Tullium in orat. pro Muræna à maioribus bonis, quæ rem militarem, quàm quæ ius ciuile consequuntur, argumentum sumpsisse, eamque huic anteponendam esse ostendisse. Inquit enim, cum Sulpitio disputans. Vigilias tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas: ille, vt, quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. tu actionem instituis, ille aciem instruit. tu caues ne tui consultores, ille ne vrbes aut castra capiantur. ille tenet, & scit vt hostium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur. ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus præstat ceteris omnibus: *& sequuntur.*

Ἔτι τὰ πλείω ἀγαθὰ τῶν ἐλαττόνων, ἢ ἁπλῶς, ἢ ὅταν θάτερα ἐν τοῖς ἑτέροις ὑπάρχῃ, τὰ ἐλάττω ἐν τοῖς πλείοσιν. ἔνστασις, ὅπου θάτερον θατέρου χάριν. οὐδὲν γὰρ αἱρετώτερα τὰ ἄμφω τοῦ ἑνός, οἷον τὸ ὑγιάζεσθαι καὶ ἡ ὑγίεια, τῆς ὑγιείας, ἐπειδὴ δ' ὑγιάζεσθαι τῆς ὑγιείας ἕνεκεν αἱρούμεθα.

Præterea, plura bona paucioribus, aut simpliciter, aut cum hæc in illis includuntur, pauciora videlicet in pluribus. Sed occurritur loco, si alterum sit alterius gratia: neque enim ambo magis expetenda erunt vno, ceu curari & valetudo, ipsa valetudine, quia curari valetudinis gratia expetimus.

22 Plura bona inquit anteponenda esse paucioribus: aut simpliciter, cum accipiuntur quæ inter se sint diuersa, ceu valetudinem, nobilitatem & diuitias, memoriæ, aut honori, aut corporis viribus; hæc enim simpliciter accipiuntur, & diuersa inter se, quia nullum ex alia parte est in alia: aut non simpliciter, sed cum alia in aliis includuntur ac comprehenduntur, pauciora scilicet in pluribus. Hoc autem verius videtur esse: nam in iis, quæ simpliciter & omnino sint diuersa, non [a] semper verum est; possunt enim pauciora numero bona magis expetenda esse pluribus, si pauciora quidem sint maiora, pluria autem tenuiora. Iustitia exempli gratia, prudentiam solam adiunctam habens, magis expetenda est valetudine, diuitiis, corporis robore, pulchritudine, nobilitate, simul sumptis. Id uerò nullo modo euenire potest, si pauciora in pluribus includantur: valetudo namque, diuitiæ, honor & nobilitas, magis expetenda sunt valetudine & diuitiis solis. ¶ Exposito loco, ei occurri posse testatur: neque enim plura bona anteponenda sunt paucioribus, si illa contineant, hæc contineantur. Nam cũ duo bona sumuntur, quorum alterum sit finis, alterum illius finis gratia, vt puta valetudo & curatio; hæcque cum valetudine comparantur, quę iam in primis duobus bonis expositis inclusa est: duo non sunt magis expetenda valetudine, licet numero vincant: atque id non ob aliam causam, nisi quia curatio valetudinis gratia expetitur atque suscipitur. Item, scientia cum eiusdem perceptione coniuncta, non est magis expetenda scientia sola: idque ex eo contingit, quia nos perceptioni studemus scientię comparandæ gratia. Pręterea, nec vita beata adiunctis ei virtutibus, magis expetenda est vita beata sola, cùm in vita beata contineantur virtutes. Similiter nec ciuitatem & propinquos beneficiis affice-

[a] οὐκ ἀεὶ ἀληθὲς. ita uidetur legendum, nõ οὐκ ἀληθές.

 re.

re, magis expetendum est, quàm afficere ciuitatem solam: nam ciuitatis ambitu propinqui quoque comprehenduntur. Nec bona corporis habitudo, si adplicatam habeat valetudinem, magis expetenda est bona corporis habitudine sola, cùm valetudinem illa sua vi complectatur. Hoc autem propterea euenit, quia cum iis quę continent, non [b] numerantur illa quæ ab ipsis continentur, nec eorum numerum explent, vt in [c] primo libro Ethicorũ dictum fuit: hoc est οὐ συγκείνται, nec coagmentantur. Quamobrem distinctio hęc adhibenda est, in iis plura bona eaque continentia magis expetenda esse paucioribus & contentis, quę ea natura sunt, vt συναριθμεῖσθαι, hoc est cumulum conficiant, & coagmentationem amplificent.

b Ea non dicuntur συναριθμεῖσθαι, quæ aliquibus adposita priorem numerum non augent.

c Cap. VII. vbi Aristo. inquit. ἔτι πάντων αἱρετωτάτην μὴ συναριθμουμένην, & quæ sequuntur, de beatitudine loquens.

ADNOTATIONES.

Aut cum hæc in illis includuntur] Non ita quidem copiosè hunc eundem locum exsuit in. I. lib. de arte dicendi: sed verbis tamen vsus est ad omnem loci vim declarandã accommodatißimis. Inquit enim. ἀνάγκη ἐστι πλείω τοῦ ἑνὸς καὶ τῶν ἐλαττόνων, συναριθμουμένου τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν ἐλαττόνων, μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι. hoc est, [Necesse est plura uno, vel paucioribus esse maius bonum, si in pluribus illis numeratum fuerit aut vnũ, aut pauciora.] Verbum συναριθμεῖσθαι ex Alexandri sententia de illis dicitur, quæ si aliquibus adponantur, illorum numerum augent & amplificant, cumulumque conficiunt: ita vt si sua adpositione nihil noui afferant, nec priorem aceruum excrescere faciant, nõ dicantur propriè συναριθμεῖσθαι. Itaque virtutes non dicuntur propriè συναριθμεῖσθαι, hoc est numerari cum vita beata, quia vitæ beatæ adiunctæ non augent aceruum bonorum, quæ sunt in vita beata sola: hæc enim complectitur in se virtutes, ex quo efficitur, vt earum adpositionem non requirat. Eodemque modo de alijs dicendum est, quorum exemplum attulit Alexander. Quare cùm in his pauciora bona non includantur in cumulo & coagmentatione plurium, nec dicantur συναριθμεῖσθαι, ideo plura bona non erunt magis expetenda paucioribus. Si rectè igitur intelligatur, quæ vis subiecta sit illis verbis, συναριθμουμένου τοῦ ἑνὸς ἢ τῶν ἐλαττόνων, nulla alia distinctione nobis ad hunc locum opus erit, eaque idem ferè valebunt, vt censet Alexan. ac si dicatur, aut cũ hæc in illis includuntur, nec alterum sit alterius gratia. *Si cupis hanc rem melius percipere, legas quæ accuratè de illa scripsit eruditißimus Victorius in suis cõmentarijs. M. Tullius autem breuiter locum commemoratum in suis Topicis exposuit: inquit enim.* Numero sic comparabuntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponantur.

Καὶ μὴ ἀγαθὰ δὲ, ἀγαθῶν οὐδὲν κωλύει εἶναι αἱρετώτερα: οἷον εὐδαιμονίαν καὶ ἄλλο τι ὃ μὴ ἐστι ἀγαθὸν, δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας.

Nihil autem prohibet, quominus quæ non sunt bona, magis sint expetenda bonis: vt beatitudo cõiuncta cum aliqua re, quæ non sit bonum, iustitia & fortitudine.

23 Bonum aliquod coniunctum cum eo, quod non sit bonũ, nihil inquit impedire, quominus pluribus bonis magis sit expetendum: neque enim si omnia sumantur non bona, illa magis expetenda sunt bonis, cùm id fieri nõ posit: sed si aliquid, quod non sit bonum, coniungatur cum bono. ¶ Facultate autem & vi illam enstasim his verbis affert, quam nos in superiore loco exposuimus, cum tradebatur, plura bona magis expetenda esse [a] simpliciter paucioribus: tẽperantiã enim coniuncta cum aliqua re, quæ sit [b] ἀδιάφορος, hoc est indifferens, & nullum ad efficiendam vel perturbandam felicitatem momentum habens, vt puta cum vocis tenuitate, aut varis, aut capillorum crispitudine vel distantia, aut in ambulatione, aut aliquo alio exiguo malo, quod genus est glorię vacuitas, magis expetenda est valetudine, diuitiis, & corporis robore, simul sumptis. quòd

a Hoc loco non euertitur superior, quoniã hæc pauciora bona non includuntur in pluribus.

b Quæ sĩt Stoicis τὰ ἀδιάφορα, explicat A. Gellius lib. II. cap. 7. & M. T. lib. III. de Fini. τὸ ἀδιάφορον appellant etiam Græci ἀπαράλλακτον: vide Budæum in commentariis.

si temperantia aliquod malum adplicatum habens, magis expetenda est pluribus bonis simul, vt puta diuitiis, generis nobilitate, gloria: iam & solam magis iisdem expetendam esse constat. Atque hoc sanè modo plura bona nō erunt magis expetenda paucioribus: neque etiam, si [c] finis sit plurium illud, quod ipsis opponitur. Similiter autem & beatitudo cum aliqua re indifferente ac nullius momenti coniuncta, magis expetenda est iustitia & fortitudine.

Καὶ τὰ αὐτὰ μεθ' ἡδονῆς, μᾶλλον ἢ ἄνευ ἡδονῆς. καὶ τὰ αὐτὰ μετὰ ἀλυπίας, μᾶλλον ἢ μετὰ λύπης.

Et eadem coniuncta cum voluptate, magis expetenda sunt, quàm sine voluptate: & eadem cum indolentia copulata, magis quàm cum dolore.

24 Hic locus diuersa inter se non comparat, sed vnius rei cum eadem re collationem facit. Eadem igitur bona cū voluptate cō iuncta, magis expetēda sunt, quàm sine voluptate: vt fortitudo iuncta cum voluptate, magis quàm sine voluptate expetēda est. An si [a] voluptas sua ui et natura bonum est, hic etiā plura bona magis expetenda erunt paucioribus, cùm pauciora in pluribus includantur? Quòd si eadem voluptatem adiunctam non habeant, sed doloris priuationem, magis expetenda fiunt: [b] neque immeritò, nam eadem bona minus expetenda sunt cū aliquo malo cōiuncta, quàm si absq; hoc sumerentur. [Manifestò autem ex his verbis intelligitur, [c] aliud existimare Aristotelem esse indolentiā, aliud voluptatem.

a Plura bona duobus modis possunt non esse magis expetenda paucioribus: aut cum pauciora nō includuntur in numero plurium, aut si includuntur, alterum tamen est alterius gratia.

a Hæc enim videtur esse causa, cur hic locus sit verus: quā & in. I. lib. Rhet. attulit Aristo. cū eundem locum exponeret.

b μετὰ κακοῦ τινος, ἢ εἰ χωρὶς τούτου λαμβάνοιτο, εἰ μετὰ λύπης εἴη. ex fide atque auctoritate codi. Med. hæc verba sustulimus, quæ temerè locum indicatum occuparant.

c Contra Epicureos: qua de re vide M. Tulliū. 2. lib. de Fini.

ADNOTATIONES.

Et eadem cum voluptate coniuncta] *Cum eundem hunc locum traderet in primo li. Rhetoricorum Arist. ita locutus est.* καὶ τὸ ἀλυπότερον, καὶ τὸ μεθ' ἡδονῆς: πλείω γὰρ ἑνός. ὑπάρχει γὰρ καὶ ἡ ἡδονὴ ἀγαθὸν, καὶ ἡ ἀλυπία. *hoc est, [Et quod magis sit expers ægritudinis, & quod voluptatem adiunctam habeat: plura enim vno sunt: nam & voluptas bonum est, & indolentia.] Sed possumus etiam hæc verba ita interpretari, vt dicamus, illud item maius est bonum, quod non solum ægritudine magis vacat, sed etiam voluptatem habet: plura enim vno sunt, cùm & voluptas & ægritudinis vacuitas sint bonum. quam interpretationem probauit Victorius, atque alii viri doctissimi. Videtur autem & hoc in loco Rhetorices Arist. non quidem diuersorum bonorum inter se collationem facere, sed vnius rei cum eadem re, eamque cum voluptate aut cum indolentia coniunctam magis expetendam esse statuere, quàm sine voluptate aut cum dolore: nam ipse alio in loco diuersa bona, quæ voluptatem adiunctam habeant, inter se comparat, et iucundiora minus iucundis anteponenda esse tradit. locus, in quo id docet, hic est.* καὶ τὸ ἥδιον, τοῦ ἧττον ἡδέος. τὴν γὰρ ἡδονὴν πάντα διώκει, καὶ αὐτοῦ ἕνεκα τοῦ ἥδεσθαι ὀρέγονται. ὥρισται δὲ τούτοις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ τέλος. ἥδιον δὲ τό τε ἀλυπότερον, καὶ τὸ πολυχρονιώτερον ἡδύ. *idest, [Et iucundius minus iucundo; omnia enim voluptatem sectantur, & voluptatem percipere illius ipsius causa appetunt: his autem boni & finis natura descripta est. Illud verò iucundius est, quod magis ægritudine vacat, & quod diutius perdurat.] Sed profectò hic magis laudanda est comparatio illa, quæ bonorum inter se diuersorum fit, quàm quæ eiusdem boni cum eodem bono: ecquis enim dubitat, quin idem magis sit expetendum cum voluptate coniunctum, quàm ab ea separatum? comparatio autem rerum, quæ aliquo modo sint dubiæ, fieri debet. Cicero igitur in suis Topicis, diuersa inter se bona cōparādo, inquit:* Iucunda minus iucundis anteponantur. *Quamobrē Hippocrates lib. 2. aphorismorum 38. parùm deteriorem cibum vel potum, suauiorem autem, melioribus quidem, sed minus suauibus, in alendis ægrotantibus præferendum esse monuit. Quanquā parùm deterior cibus, qui cum voluptate sumatur, non modo (vt in-*

quit Galenus) non manet deterior, sed etiam interdũ redditur melior: ventriculus enim qui dè quæ cum voluptate sumuntur, amplectitur & recipit, eaque facilius concoquit: sicut contrà illa, quæ displicent, vitat & reijcit, ita vt nauseæ, vel flatus, vel fluctuationes subsequantur.

Καὶ ἕκαστον ἐν ᾧ καιρῷ μεῖζον δύναται, ἐν τούτῳ καὶ αἱρετώτερον· οἷον ἡ ἀλύπως ἐν τῷ γήρᾳ μᾶλλον, ἢ ἐν τῇ νεότητι: μεῖζον γὰρ ἐν τῷ γήρᾳ δύναται. κατὰ ταυτὰ δὲ καὶ ἡ φρόνησις ἐν τῷ γήρᾳ αἱρετώτερον· οὐδεὶς γὰρ τοὺς νέους αἱρεῖται ἡγεμόνας, διὰ τὸ μὴ ἀξιοῦν φρονίμους εἶναι. ἡ δ' ἀνδρεία ἀνάπαλιν: ἐν τῇ νεότητι γὰρ ἀναγκαιοτέρα ἡ κατὰ τὴν ἀνδρείαν ἐνέργεια. ὁμοίως δὲ καὶ ἡ σωφροσύνη: μᾶλλον γὰρ οἱ νέοι τῶν πρεσβυτέρων ὑπὸ ἐπιθυμιῶν ἐνοχλοῦνται.

Et quo quicque tempore maiorem vim habet, id in eo magis est expetendum: vt sine molestia & dolore viuere, magis in senectute quàm in iuuentute: maiorẽ enim in senectute vim habet. Eadem quoque ratione magis expetenda est in senectute prudentia: nemo enim iuuenes sibi duces adoptat, quòd prudentes eos non esse existimat. Contra se habet fortitudo: in iuuentute enim magis necessaria est actio, quæ à fortitudine proficiscitur. Similis est ratio temperantiæ: nam iuuenes magis quàm ætate prouecti, cupiditatibus concitantur.

25 Hoc loco ostendit Aristoteles, vnũquodq; quod sit expetendũ, eo tempore magis expetendũ esse, quo maiorem vim habeat. Tum verò maiorem vim habet vnumquodque, cum eius vsus est maximè necessarius: vsus enim maximè necessarius, quid quæque res possit, declarat: neque sanè immeritò. Nam hominem, qui cibo ac potione repletus sit, nec voluptatem nec molestiam capere tradit: illum autem voluptatem capere, qui tum alatur, cum alimento eget. Similiter & is, qui aliquid suaue & iucundum nõ cernat, aut quiddam tale nõ audiat, nec voluptate nec dolore afficitur: ille autem voluptate afficitur, qui in his rebus sit occupatus. Quamobrem quia indolentia est expetenda, senes autem magis quàm iuuenes dolore ac molestiis afficiuntur, quippe cùm iuuentus insitam atque innatam habeat alacritatem: indolentia magis in senectute quàm in iuuentute expetenda est: maiorem enim in illa vim habet, atque eo tempore magis est opportuna, quia vincit ac reprimit ægritudinem, quæ in senibus multa est. Similiter & prudentia, quæ est res expetenda, magis expetenda est in senectute, propterea quòd senes magis illius indigent: ab iis enim hoc petimus, & illi ad ea opera aggrediuntur, in quibus prudentia opus sit: à iuuenibus autẽ nihil tale quicquã deposcimus: atque in hoc diligenter inquirimus, quid prudentia valeat. Contrà euenit in fortitudine, quæ in iuuenibus in hacque ætate magis expetenda est, quòd iuuenes magis illius indigent: ab iis enim hoc tanquàm illorum proprium requirimus. Eadem est ratio temperantiæ, quæ plus valet in iuuenibus, quòd in iis maximè voluptatis libidines excitantur, ad quas coercendas temperantia opus est. [Hac eadem ratione concludere possumus, magis fugiendã esse in senectute paupertatẽ, quia uidelicet senectus ob viriũ imbecillitatem pluribus egeat: & in iuuentute imbecillitatem; iuuenes enim præcipuè corporis robur requirunt.

vide Arist. 2 lib. rhetor.

ADNOTATIONES.

Et quo quicque tempore maiorem vim] Non est cur negemus hunc locum eundem

esse cum illo, qui paulò dissimilibus verbis ita ab Aristotele in. I libro Rhetoricorum describitur. καὶ τὰ ἐν χρείᾳ μείζονι χρήσιμα: οἷον τὰ ἐν γήρᾳ καὶ νόσοις. *hoc est, [Et quæ vtilia sunt in maiore indigentia: vt quæ vtilia sunt senibus & ægris.] Idem enim valet dicere, vtile esse in quo tempore plus quicque potest, &* ἐν μείζονι χρείᾳ, *cùm eo tempore plus quicque poßit maiorúque vim habeat, quo eius vsus est maximè necessarius. Beneficium exempli gratia conferre in aliquos, qui maximis angustijs premantur & aliorum auxilio egeant, plus valet maioremque vim obtinet, quàm si in eos conferretur, quibus res sunt valde secundæ, nulla alia de causa, nisi quia beneficium illis est magis opportunum, his minus. Adde, quòd Alexander, cum hunc locum explanat, in suo commentario ita inquit.* δύναται δὲ ἕκαστον πλεῖον, ὅτε μάλιστά ἐστιν αὐτοῦ χρεία: δείκνυσι γὰρ τὴν ἑκάστου δύναμιν ἡ χρεία μάλιστα, καὶ εἰκότως: *& quæ sequuntur.*

Nemo enim iuuenes sibi duces adoptat] οὐδεὶς γὰρ τοὺς νέους αἱρεῖται ἡγεμόνας. *adoptare propriè valet eligere: ita M. Tull. dicit, adoptare sibi patronum & defensorē. Hoc in loco* αἱρεῖσθαι τοὺς νέους ἡγεμόνας, *significat ascis cere sibi iuuenes patronos & duces alicui causæ: eodem enim modo dixit Cicero in orat. pro Plancio,* qui causę nostrę duces & quasi signiferi fuerunt, *quo hic Aristoteles* ἡγεμόνας.

Καὶ ὃ ἐν παντὶ καιρῷ, ἢ ἐν τοῖς πλείστοις χρησιμώτερον: οἷον δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη ἀνδρείας· αἱ μὲν γὰρ ἀεί, ἡ δὲ ποτὲ χρησίμη.

Item, quod omni tempore, uel pluribus temporibus vtile sit: vt iustitia & temperantia fortitudine. Illæ enim semper, hæc aliquando utilis est.

26 Cùm dixisset, *omni tempore*, cautè illud addidit, *vel pluribus temporibus*, vt sententia esset firmior & tutior. Locus autem perspicuus est: ex iis enim, quæ videntur æquè expetenda, illud cuius omni tempore indigemus, magis expetendum est quàm id, cuius non omni tempore. Sic igitur doceri potest, magis expetēdā esse iustitiam & temperantiā fortitudine: a iustitia enim & temperantia nobis & belli & pacis tempore opus est; fortitudine autem, belli dumtaxat. Sed hoc potest etiam ita intelligi, vt non simul iustitiam & temperantiam cum fortitudine comparet, sed vtramque separatim. Hac eadem ratione concludi potest, prudentiam ceteris omnibus virtutibus anteponi debere: illarum enim vnaquæque in certis ac definitis rebus locum habet, prudentia autem in omnibus. b [At verò potest etiam Aristoteles non de perfectis virtutibus loqui, cùm illæ simul sint inter se. c An & si simul sunt, actiones tamen quæ ex illis proficiscuntur, non sunt simul: neque etiam simul & vno eodemque tempore iis nobis opus est.

a Idem Aristot. I. lib. Rhet.

b Enstasis. Solutio.

c De hac re præclarè M. Tullius libro V. de Finib. cum inquit. Atq; hæc coniunctio cōfusioq; virtutum, tamen à philosophis ratione quadam distinguitur: et c.

ADNOTATIONES.

Et quod omni tempore] Quoniam quæ verbis disputantur, sine adpositione exemplorum leuius disputantur, placuit mihi ad hunc locum Aristotelis magis illustrandum aliquot exempla subijcere. Cicero igitur in oratione pro Archia poeta hoc argumento doctus, studia poëtica ceteris omnibus studijs antecellere docuit his verbis. Quòd si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, vt opinor, hanc animaduersionem humanißimam ac liberalißimam iudicaretis. nam ceteræ neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum: hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium prębent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *In quam sententiā Quintilianus quoque libro primo cap. v. de poetarum enarratione loquens, hæc scripsit.*

[*Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem vt tenuem ac ieiunam cauillantur: quæ nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, & quæ vel sola omni studiorum genere plus habet operis, quàm ostentationis.*] *Idem Cicero in Lælio idcircò amicitiā omnibus rebus humanis anteposuit, quòd illa pluribus locis ac temporibus vtilis est: inquit enim.* Denique ceteræ res quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus ferè singulis: diuitiæ, vt vtare; opes, vt colare; honores, vt laudere; voluptates, vt gaudeas; valetudo, vt dolore careas, & muneribus fungare corporis. Amicitia plurimas res continet: quoquò te verteris, præstò est: nullo loco excluditur, nūquam intempestiua, nunquā molesta est. Itaq; nō aqua, nō igni, nō aere (vt aiūt) pluribus locis vtimur, quàm amicitia. &c. *Præterea, hac eadem ratione confirmare possumus, medendi artem præstare studijs philosophiæ: hæc enim belli aut pestilentiæ tempore iacent, nullam oblectationem vel vtilitatem hominibus afferunt, & omnino in se ipsa vertuntur: illa autem, cùm ad hominum valetudinē, quoad fieri potest, & tuendam & restituendam quæsita sit, nullo non vnquam tempore floret, semper est opportuna, & complectitur eos, quibus cum ciuili communitate coniuncti & consociati sumus.*

Καὶ[a] ὃ πάντων ἐχόντων μηδὲν θατέρου δεόμεθα, ἢ ὃ ἐχόντων προσδεόμεθα τοῦ λοιποῦ· καθάπερ ἐπὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας. δικαίων μὲν γὰρ πάντων ὄντων, οὐδὲν χρήσιμος ἡ ἀνδρεία· ἀνδρείων δὲ πάντων ὄντων, χρήσιμος ἡ δικαιοσύνη.

Et illud, quod cum omnes habemus, nihil altero indigemus, magis quàm id, quod cum habemus, indigemus reliquo: quemadmodum in iustitia & fortitudine euenit. Nam si iusti omnes sint, nihil vtilis fortitudo: at si fortes sint, iustitia tamen vtilis est.

27 Ex duobus bonis [b] si alterum eiusmodi sit, vt, cū omnes illud haberent, alterius vsus remoueretur, & nihil eo amplius indigerent; alterum autem tale, vt, etiam si omnes illud haberent, alterum tamen requirerent: illud, quod cum habemus, nihil pręterea altero indigemus, magis expetendum esse inquit. Ope igitur huius loci probare possumus, magis expetendam esse iustitiam fortitudine: nam si iusti omnes homines essent, nihil fortitudine opus esset: fortitudo enim nobis ad gerenda bella conducit, bellum autem nullum erit, si omnes sint iusti. [c] patientię verò; non fortitudinis videtur esse, sectionibus & cruciatibus resister. At si omnes essent fortes, iustitia tamen indigeremus: neque enim auferuntur [d] contractus, in quibus iustitia opus est. Quid? in ipso [e] etiam bello iustitia opus est. [Ex iis autem exemplis, quæ afferuntur, perspicuū est, Aristotelem perfectas virtutes non accipere. [Hac eadem ratione magis expetenda est amicitia quàm iustitia: amicis [f] enī nihil iustitia opus est, viri autē iusti amicitiā desiderāt.

Ἔτι ἐκ τῶν φθορῶν καὶ τῶν ἀποβολῶν, καὶ τῶν γενέσεων καὶ τῶν λήψεων, καὶ τῶν ἐναντίων. ὧν γὰρ αἱ φθοραὶ φευκτότεραι, αὐτὰ αἱρετώτερα. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀποβολῶν καὶ τῶν ἐναντίων. οὗ γὰρ ἡ ἀποβολὴ, ἢ τὸ ἐναντίον φευκτότερον, αὐτὸ αἱρετώτερον. ἐπὶ δὲ τῶν γενέσεων καὶ τῶν λήψεων, ἀνάπαλιν. ὧν γὰρ αἱ λήψεις καὶ αἱ γενέσεις αἱρετώτεραι, καὶ αὐτὰ αἱρετώτερα.

Præterea, ex interitu & iactura, generatione & adeptione, atque ex contrario sumi argumenta possunt. Quorum igitur interitus magis est fugiendus, ea magis sunt expetenda. Similisque ratio in iactura & contrario valet: nam cuius iactura, vel contrarium magis vitandum est, id magis est expetendum. Con-

a Sic & Alex. & cod. Abba. Floren. non ὅταν τῶν ἐχόντων, vt est in nonnullis.

b εἰ τὸ μὲν τοιοῦτον εἴη. ita legendum videtur, vt patet ex verbis, quæ sequuntur: quam lectionem cōfirmat cod. Med.

c Anteoccupat quod posset opponi.

d συναλλάγματα. nomen contractus vsurpāt I.C. Cicero autem συναλλάγματα vertit permutationem, vel pactionē.

e Quomodo iustitia ad omnem rem gerendā necessaria sit, copiosè explicat Cicero lib. II. Offi. cum inquit. Atque his etiam, qui uendunt, emunt, conducunt, locāt, contrahendisque negotijs implicantur, iustitia, &c.

f Sumptum ex Aristot. VIII. lib. Ethic. cap. I. ubi inquit. καὶ φίλων μὲν ὄντων, οὐδὲν δεῖ δικαιοσύνης. δίκαιοι δὲ ὄντες, προσδέονται φιλίας.

tra fit in generatione & adeptione: quorum enim generatio uel adeptio magis est expetenda, illa etiam magis sunt expetenda.

28 In secundo libro ad confirmandum aliquid esse expetendum vel fugiendũ, a locis vsus est ab interitu & generatione, causis efficientibus & interimentibus, hunc in modum. Cuius causæ interimentes sunt fugiendæ, illud expetendũ est: & cuius causę efficientes sunt expetendæ, id etiam expetendum. Contrà autem, cuius causæ interimentes sunt expetendæ, illud fugiendum est: & cuius causæ efficientes sunt fugiendæ, id etiam fugiendum. Hos igitur locos ad comparationem transfert: nam si, cuius causa interimens sit fugienda, illud expetendum est, & cuius causa interimens magis fuerit fugienda, illud magis erit expetendum. Atque ita ostendetur, magis expetendam esse scientiam valetudine: obliuio enim, quę scientiam interimit & perdit, magis fugienda est morbo, qui valetudinem destruit. Eadem verò ratione diuitię magis sunt expetendæ scientia: asotia namque quæ diuitias dissipat, magis fugienda est obliuione, quæ scientiam euertit. ¶ Addidit autem iacturæ nomen, aut quòd illa eadem est cum interitu, quandoquidem eædem rationes in interitu, atque in iactura valent: aut interitus quidem fuerit illarum rerum, quarum non est regressus neque recuperatio, veluti priuationum; iactura autem earum, quas ille, qui iacturam facit, potest recuperare. Cæcitas exempli causa, & surditas sunt interitus: vnde si interitus aspectus, magis fugiendus sit interitu auditus, aspectus quàm auditus magis expetendus ostendetur. Iactura autem de valetudine & diuitiis dicitur, quæ ab eo, qui illarum iacturam fecerit, possunt recuperari: vnde si valetudinis iactura magis quàm diuitiarum fugienda sit, valetudo quàm diuitię magis erit expetenda. ¶ b Sed si in his exemplis interitus sunt fugiendi, quomodo præterea aliqui interitus erunt expetendi, cùm interitus expetendi debeant esse priuationum, nullus autem priuationum possit esse interitus? Fortasse igitur nomen quidem interitus in iis vsurpatur, quæ separari nequeunt, quorum iactura cum interitu fit, propterea quòd ea, si separentur ab iis, in quibus inhærent, seruari non possunt; tales sunt qualitates & habitus: iactura autem de iis dicitur, quę seiungi possunt, cuiusmodi sunt bona quæ possidentur. Quare si prędii iactura vel amissio magis fugienda sit quàm domus, prędium magis quàm domus expetendum erit. ¶ Addidit autem, *atque ex contrario*, propterea quòd non aliter se res habet in contrariis, atque in illis quæ exposita sunt. Aut etiam iacturę & amissioni adiunxit contrarium, quia iacturæ partim fiunt ob pręsentiam contrariorum, partim sunt iacturę tantùm: fit enim clypei iactura & amissio, non tamen per contrarium. quin etiam obliuisci, quod est iactura vel depulsio scientię, non est scientię contrarium, quemadmodum nec cibo ac potione repleri, cõtrarium valetudini, licet sit illius iactura. & si magis fugiendũ est obliuisci, quàm cibo ac potione repleri, scientia magis quàm valetudo expetenda erit. Morbus autem & paupertas, contraria sunt valetudini & diuitiis. ac quemadmodum in interitu & iactura se res habet, non aliter euenit in his aliisque huiusmodi: quorum namque contraria magis sunt fugienda, ea magis sunt expetenda; & quorum contraria magis sunt expetenda, ea magis sunt fugienda. [Verùm distinctio hæc adhibenda est, nisi secum alterum trahant: ideò enim valetudo non est magis expetenda bona corporis habitudine, quamuis morbus magis sit fugiendus mala corporis habitudine

a *Loco 33, & 34.*

b *ἀλλ' εἰ ἐπὶ τούτων αἱ φθοραὶ φευκταὶ, πῶς αὗται ἂν αἱρεταί εἰσι φθοραί. Ita ex ingenio castigauimus, & Alexãdri sententiã fideliter expressimus. Pulchrã autẽ dubitationem diligenter attendas.*

tudine, quia bona corporis habitudo secum valetudinem trahit. Sic igitur iustitia magis expetenda est liberalitate, quia iniustitia magis fugienda est effusione & asotia. [Quemadmodum verò quorum interitus aut iactura aut contrarium magis sit fugiendum, ea c magis sunt expetenda: sic etiã quorũ hæc cõmemorata magis sunt expetenda, ea magis sunt fugienda. quare si morbi iactura vel depulsio magis quàm ignorationis expetenda sit, morbus magis fugiendus erit ignoratione. Contrà autem, si virtutis iactura magis quàm valetudinis fugienda sit, virtus magis expetenda erit valetudine. ¶ Dissimilis autem ratio valet in generatione & adeptione dumtaxat, quemadmodum & ipse testatur: quorũ enim generatio vel adeptio magis est expetenda, illa etiam magis sunt expetenda; & quorum magis declinanda, illa etiam magis declinanda. Quamobrem si discere & aliquam artem percipere magis expetendum est, quàm se exercere; perceptio autem alicuius artis scientiam gignit, exercitatio corporis valetudinem: & scientia magis expetenda erit valetudine. Item, si magis expetendum est se exercere, quàm pecuniæ studio deditum esse, & valetudo magis expetenda erit diuitiis. Prętereà, si verecundè in vita se gerere, magis quàm contemptorem & impudentem se præstare, expetẽdum est; illud autem philosophi vitã efficit, hoc cõcionatoris & rhetoris: & philosophus magis quàm cõcionator expetendus erit. Adhæc, si gaudere quòd sciamus, magis expetendum est quàm quòd videamur scire; & illud philosophi mores conformat & gignit, hoc autem sophistici: philosophum quoq; quàm sophistam esse præstabit. Prętereà, si obliuisci rerum turpium, magis expetendum est quàm curari, & ignoratio rerum turpium magis expetenda erit valetudine. Et si magis expetendum est eũ, qui peccat, pœnam luere, quàm curari.* [Porrò autem, si aliena vi accipere, magis fugiendum sit quàm e morbum contrahere, & iniustitia magis quàm morbus fugienda erit. Quòd si discere magis expetendum sit quàm pecuniam quærere, & scientia magis expetenda erit diuitiis: ambo autẽ, nempe discere & pecuniã quęrere, percipere quiddam sunt. Ipse tamen Aristoteles ad solam confirmationem eius, quod magis sit expetendum, huiusmodi locis vsus est.

c αὐτὰ αἱρετώτερα, οὗ τὰ κακὰ ὧν ταῦτα αἱρετώτερα, αὐτὰ φευκτότερα. hæc verba, quæ procul dubio aberant à Græco cod. vt exempla, quæ adponuntur, declarant, nos ex ingenio restituimus.

* Hic nonnulla desunt in Græco cod. etiam Medic. quæ ex cõiectura tãtùm non sum ausus restituere.

e νόσον λαμβάνειν. patrio autem sermone rectè dicimus, pigliare una malatia.

ADNOTATIONES.

Prætereà, ex interitu] Locum hunc sumptum ab interitu, iactura, & contrario, in primo quoque libro Rhetoricorum paulò breuioribus ac dissimilibus verbis exponit Aristoteles, cum inquit. καὶ οὗ ἡ στέρησις μείζων. *idest,* [Et cuius cõtrariũ sit maius, et cuius priuatio itidẽ maior.] *quæ uerba planiora sunt, quàm ut ullã interpretationem mereantur: præsertim cùm hic locus plurimis atque elegantibus exemplis ab Alexandro sit illustratus.*

Ἄλλος τόπος. τὸ ἐγγύτερον τοῦ ἀγαθοῦ, βέλτιον καὶ a αἱρετώτερον, καὶ τὸ ὁμοιότερον τῷ ἀγαθῷ. οἷον ἡ δικαιοσύνη, δικαίου.

Alius locus. Quod est propinquius bono, id et melius & magis expetendum est, quodque bono est similius: vt iustitia iusto.

29 Hi loci si prò duobus accipiantur, primus eiusmodi erit, vt dicat: illud melius est, quod bono sit propinquius. atq; ita idẽ erit cũ b illo iam exposito, quo trãdebatur, id ex duobus esse melius, quod propius ad finẽ accedat: idẽ .n. valet dicere, quod est propinquius bono, & quod ad finẽ propius accedit, cùm c bonũ ab Aristotele pro fine & vltimo vsurpari manifestum sit. Aut igitur idem erit cum hoc indicato, aut cum illo qui ita se habebat: *prætereà, quod propriè est aliquid, eo quod non sit in genere*: nam & exempla, quibus hoc in loco vsus est, eadem esse videntur: iustitia enim (inquit) propinquior est bono, ipso iusto: id autem non ob

a Hanc vocem agnoscit Alex. codex autem Basil. habet, ἀγαθώτερον: sed liber Abbatiæ Floren. αἱρετώτερον.

b Comm. 15.

c δῆλον γὰρ ὅτι, τοῦ ἀγαθοῦ ὡς τέλους, λέγει. sic legendum videtur.

aliam causam euenit, nisi quia iustitia est in virtute & bono vt in genere, iustus autem minimè. Vel cum dicit, *iusto*, non eum intelligit qui præditus sit iustitia, sed ius quoddam, quod positione & lege, non natura tale esse posit. Verùm tamen & hoc modo discrimen inter hęc intercedet: nam iustitia quidẽ est in bono vt in genere, ius autem illud d non omnino. quî enim aliter potest intelligi, iustitiam propinquiorem esse bono, nisi aliquis dicat, fini & beatitudini? Atqui hic etiam locus antè fuerat expositus, vt ibi e admonebam. [Quòd si vnus sit locus: hoc eo docebit, illud, quod sit propinquius bono, esse melius: explicans autem, quomodo dixerit propinquius, addidit, *quodque bono est similius*: nam quod ita est propinquius, vt ei sit similius, magis expetendum est. Quòd si hoc f verũ sit, aut dicendũ duo illi esse exẽpla, aut iustitiã propius similitudinã quàm ius vel virum iustũ ad bonũ, hoc est ad beatitudinem accedere. neq; enim dixit Aristoteles, *quod est* ἐγγύτερον ἀγαθοῦ, sed τοῦ ἀγαθοῦ: nec *quod est similius* ἀγαθῷ, sed τῷ ἀγαθῷ: quibus vocibus cum g articulo coniunctis summum ac perfectissimum bonum significat. Locus autem, qui proximè sequitur, est à similitudine, quæ habetur cum aliis bonis. ❡ Hac igitur ratione doceri potest, magis expetendam esse virtutem bona fortuna, cùm illa beatitudini sit propinquior ac similior: & gloriam voluptate, cùm sit similior honesto. Præterea, magis expetendum est de amicis benè mereri, quàm inimicos damno afficere: illud enim maiorem cum honesto similitudinem habet. [Sed si hic locus diuidatur: actiones quidem ex virtute, & ipsi habitus poterunt accipi in exemplum eius, quod est propinquius bono, cùm actiones sint beatitudini propinquiores: beneficiũ autem dare & accipere, in exemplum eius, quod est similius: nam ad h similitudinem propius accedit vitæ beatæ beneficium dare, quàm accipere.

d Contrarium vide comment. 5.

e Comment. 16.

f Locus hic in Græco exẽplari mendo fortasse nõ vacat: & cod. Med. ab impressis non discrepat.

g De hac re vide Budæũ in Cõment. lin. Græ.

h Sic & M. T. lib. I. de Nat. deo. Ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus, quàm figura.

ADNOTATIONES.

Quod est propinquius bono] Nisi magnopere fallor, hoc eodem argumento confirmare possumus magis eligendam esse effusionẽ auaritia; cùm illa sit liberalitati propinquior ac similior, quæ liberalitas bonũ est; et audaciã timiditate & immanitatem in voluptatibus aspernandis, quam ἀναισθησίαν *Græci appellant, intemperantia; item, duritiem in contemnendo dolore mollicie: hæc enim extrema maiorem cum medio, quod bonum est, similitudinem & affinitatem habent, quàm reliqua, minusque cum illo pugnant. Ex extremis verò alterum propius accedere ad medium, quàm alterum, minusque illi contrariũ esse, docet Arist. in. II. lib. de moribus ad Nico. cap. VIII. vbi etiam, quam ob causam id eueniat, ipse declarans, iisdem verbis, quibus hic in Topicis, vtitur: vt dubitari non possit, quin exẽpla illa quæ nos iam posuimus, maximè ad hũc locũ pertineãt. inquit igitur.* ἔςι δύο δ' αἰτίαι τοῦτο συμβαίνει *(cur scilicet* πρὸς τὸ μέσον ἀντίκειται, ἐφ' ὧν μὲν μᾶλλον ἡ ἔλλειψις, ἐφ' ὧν δὲ ἡ ὑπερβολή*)* μίαν μὲν, τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πράγματος· τῷ γὰρ ἐγγύτερον εἶναι καὶ ὁμοιότερον τὸ ἕτερον ἄκρον τῷ μέσῳ, οὐ τοῦτο, ἀλλὰ τοὐναντίον ἀντιθέμεν μᾶλλον· οἷον ἐπεὶ ὁμοιότερον εἶναι δοκεῖ τῇ ἀνδρείᾳ ἡ θρασύτης καὶ ἐγγύτερον, ἀνομοιότερον δὲ ἡ δειλία, ταύτην μᾶλλον ἀντιθέμεν· τὰ γὰρ ἀπέχοντα πλεῖον τοῦ μέσου, ἐναντιώτερα δοκεῖ εἶναι: *& quæ sequuntur. Siquis autem fortasse dixerit exempla, quæ à nobis allata sunt, huic loco Aristotelis non quadrare, is sciat se repugnare iudicio limatissimo optimi & pereruditi iuuenis Thomæ Mermanni Coloniensis: à quo cùm sententiam suam requisissem, ut & in hoc libro vertendo, & in aliis meis grauioribus studiis sæpe feci, non solùm mihi assensus fuit, sed etiam acclamauit. Est verò hic iuuenis ita bonarum artium & vtriusque linguæ cognitione instructus, vt omnes eiusdem ætatis virtutes illius laudare facilius possint, quàm æmulari. Sed ne hoc, quod di*

co, beneuolētiæ potiùs, qua eum ob suauissimos mores cōplector, quàm mei iudicij testimonium videatur: is ille est, vt à doctissimo & eloquentissimo Vido Vidio, dum viueret, non in postremis haberetur: qui vir talis fuit, vt nemo vnquam magis de fouendis litteratis hominibus cogitauerit; eo indicio, vt nemo in delectu errauerit minus.

Καὶ τὸ τῷ βελτίονι αὐτῶν ὂν ὁμοιότερον. καθάπερ τὸν Αἴαντος τοῦ Ὀδυσσέως φασὶ βελτίω τινὲς εἶναι, διότι ὁμοιότερος τῷ Ἀχιλλεῖ· ἔνστασις τούτου ἐστὶν, ὅτι οὐκ ἀληθές. οὐδὲν γὰρ κωλύει μὴ ᾗ βελτίων ὁ Ἀχιλλεὺς, ταύτῃ ὁμοιότερον εἶναι τὸν Αἴαντα, τοῦ ἑτέρου ὄντος μὲν ἀγαθοῦ, μὴ ὁμοίου δέ. σκοπεῖν δὲ, εἰ καὶ ἐπὶ τὰ γελοιότερα εἴη ὅμοιον, καθάπερ ὁ πίθηκος τῷ ἀνθρώπῳ, τοῦ ἵππου μὴ ὄντος ὁμοίου. οὐ γὰρ καλλίων ὁ πίθηκος, ὁμοιότερον δὲ τῷ ἀνθρώπῳ.

Et quod similius sit ei, quod iis ipsis est præstantius: quemadmodum Aiacem nonnulli Vlyssi anteponunt, quòd Achilli esset similior. Sed occurritur loco: propterea quòd nihil prohibet Aiacem, non qua parte Achilles præstantior fuerit, ei similiorem fuisse, & tamen alterum bonum fuisse, etsi non similem. Considerandum est etiam, an iis quæ ridicula sunt, simile sit: quemadmodum simia homini, cùm equus nō sit similis. neque enim præstantior est simia, & si similior homini, quàm equus.

30 Expositoloco alium adiungit: quo docet, illud ex duobus, quę inter se cōparantur, esse melius magisque expetendum, quod similius sit ei, quod iis ipsis est pręstantius: exemplo autem rem explanat. Quia enim Achilles erat præstantior Aiace & Vlysse, ideò qui ex his duobus similior fuit Achilli, is etiam fuit melior: quare Aiax melior Vlysse, quòd Achilli fuisset similior. ¶ Huic autem loco ab Aristotele occurritur, &, quid ei obsistat, ipse exponit. nam si vnus similior sit ei, non qua parte est præstantior, alter verò similis, qua parte est præstantior: huic non erit ille anteferendus, quamuis eidem sit similior. Achilles exempli causa, erat quidem fortis, atque hoc præstantior Aiace & Vlysse; erat autem & iracundus. quare si ex his qui inter se comparantur, alter iracundia sit ei valdè similis, alter verò fortitudine parùm, non ob eam causam iracundus est melior altero, quòd eidem sit similior. ¶ Illa autem verba, *& tamen alterum bonum fuisse, & si non similem*, ita accipienda sunt, quasi dicant, & si non similem, pro eo quod est, non æquè similem: sic enim seruabitur comparatio. Sed potest hoc simpliciter dictum esse: nam & in eo quod sequitur, non inquit equum esse minus similem homini quàm simiam, sed simiam quidem in re tenui & ridicula esse similem, equum autem nullo modo similem. Potest enim aliquis, vt inquit, esse similis alicui, sed in re tenui & leui, vt [a] simia homini: quę quidem simia nō ob id erit melior equo, quòd ita sit similis homini, qui & simiæ & equo pręstat. Similitudo igitur in rebus pręstantioribus sit oportet, nō in iis quæ nulliùs sunt momenti, si is qui est similior præstantiori, debeat esse pręstantior. ¶ Atque hoc sanè modo docere possumus, præstantiorem esse eum qui donat, quàm qui accipit, quòd ille sit similior Deo: & [b] cognitionem contemplationemque, quàm actionem ob eandem causam.

ADNOTATIONES.

Et quod similius sit ei, quod ijs ipsis est præstantius] καὶ τὸ τῷ βελτίονι αὐτῶν ὂν ὁμοιότερον *hanc scripturam agnouit Alexander, vt ex eius commentario facilè intelligi licet: quam nonnulli etiam codices confirmant. Antea enim mendosè legebatur:* καὶ τὸ τῷ βελτίονι αὐτοῦ ὂν ὁμοιότερον. *nos autem hæc verba satis fideliter vertimus, & Aristotelis sententiam expressimus.*

[a] Quare Lycophron, cùm insignem Thersitis turpitudinem exprimere vellet, πιθηκόμορφον illum appellauit, idest similem simiæ. sed etiam Ennius inquit: Simia quàm similis turpissima bestia nobis?

[b] θεωρίαν. ita videtur vertere hanc vocem Cicero I. Offic. propè finem, cum inquit. Actio igitur, quæ in hominum commodis tuendis maximè cernitur, anteponenda est cognitioni, quæ manca quodāmodo atque inchoata sit, si nulla actio rerū cōsequatur. Itē III. de Orat. qui à regendis ciuitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt.

πάλιν, εἰ ἐκ δυοῖν, εἰ τὸ μὲν τῷ βελτίονι, τὸ δὲ τῷ χείρονι ὁμοιότερον, εἴη ἂν βέλτιον τὸ τῷ βελτίονι ὁμοιότερον, ἔχει δὲ καὶ τοῦτο ἔνστασιν. οὐδὲν γὰρ κωλύει τὸ μὲν τῷ βελτίονι ἠρέμα ὅμοιον εἶναι, τὸ δὲ τῷ χείρονι σφόδρα: οἷον εἰ ὁ μὲν Αἴας τῷ Ἀχιλλεῖ ἠρέμα, ὁ δ' Ὀδυσσεὺς τῷ Νέστορι σφόδρα. καὶ εἰ τὸ μὲν τῷ βελτίονι ὅμοιον, ἐπὶ τὰ χείρω ὅμοιον εἴη, τὸ δὲ τῷ χείρονι, ἐπὶ τὰ βελτίω, καθάπερ ἵππος ὄνῳ, καὶ πίθηκος ἀνθρώπῳ.

Item, è duobus si vnum meliori, alterum deteriori similius sit, melius erit id, quod similius sit meliori. Sed & huic loco occurritur: nihil enim prohibet alterum meliori parùm esse simile, alterum deteriori valdè: vt si Aiax parùm similis sit Achilli, Vlysses autem valdè Nestori. Item si, quod meliori est simile, in rebus deterioribus fuerit simile; illud verò, quod deteriori, in melioribus: vt equus asino, & simia homini.

31 Exposito loco à similitudine, vbi vnum erat id, ad quod sumebatur similitudo eorum, quę inter se comparantur: alium subiungit, si non vnum sit id, ad quod maior similitudo inuestigatur, sed duo, & alterum quidem melius, alterũ autem deterius. Ergo si ex iis quæ comparantur, vnum meliori, alterum deteriori simile sit, melius erit id, quod cum meliore similitudinem habet. ¶ Sed & hoc in loco, vt vitetur id quod posset occurrere, similitudo in re præstantiore sit oportet: nec vnius præterea parua, alterius autem magna accipienda est. Nam si non in re præstantiore aliquid simile sit ei, quod est præstantius, illud non erit pręstantius: ob id enim simia non præstat equo, quamuis illa cum homine, hic cum asino similitudinem habeat, quia illa in re deteriore ac leuiore similis est, hic in præstantiore maiorisque momenti. Præterea, si id quod est simile præstantiori, parùm fuerit illi simile, quod verò deteriori, valdè: ne hoc quidẽ modo, quod simile est præstantiori, erit omnino præstantius. nam si Vlysses parùm similis sit Nestori, qui est Achille præstantior, Aiax autẽ valdè Achilli: iam Vlysses nõ erit Aiace præstãtior. Ipse tamen Aristoteles cùm Achillẽ pręstãtiorem Nestore in allato exemplo accepisset, sic comparationem fecit. Similitudines autem sumendæ sunt ex vtroque eorum, quibus cum similitudo habet aliquid boni. ¶ Ope igitur huius loci probare possumus, [a] despicientiam præstare audaciæ: illa enim [b] similior magnanimitati, hæc fortitudini: magnanimitatem autem præstantiorem virtutẽ esse, [c] constitutum est. Præstat etiam benefacere, quàm beneficio affici: siquidem illud simile est ei, qui non eget, hoc egenti. Eodemque modo virtus in actione consistens præstat ei, quæ in habitu posita sit: illa enim similis est iis quæ actu sunt, hæc iis quæ potestate.

[a] ὑπεροψίαν βελτίω εἶναι θρασύτητος. ἡ μὲν γὰρ ὑπεροψία. Sic coniectura ducti hunc locum suppleuimus, qui manifesto erat mutilatus tùm in impresso cod. tùm in manuscripto Med.

[b] De hoc Aristo. IIII. lib. Ethi. cap. III. vnde & M. T. in Partit. inquit: Magnitudinem animi imitatur despicientia in contemnendis honoribus.

[c] IIII. lib. Ethi. Cap. 3. vbi auctor ait. ἔοικε μὲν οὖν ἡ μεγαλοψυχία οἷον κόσμος τις εἶναι τῶν ἀρετῶν, & quæ sequuntur.

Ἄλλος. τὸ ἐπιφανέστερον τοῦ ἧττον τοιούτου.

Alius locus. Quod est magis insigne, eo quod sit minus insigne.

32 E duobus bonis quæ expetantur, illud (si cętera paria sunt) magis expetendum esse inquit, quod sit magis insigne & præclarum. Præclarius autem quiddam & illustrius est, ciuitatem beneficio afficere, quàm vnum hominem duntaxat; & regem esse quàm priuatum; benefacere quàm ditescere; concionari quàm causas dicere; fortitudo temperantia; magnificentia liberalitate. Eodemq; modo docere aliquis potest, magis expetendam esse actionem cognitione & scientia: uita enim quæ in actione versatur, magis conspicua atq; clara est ea, quæ doctrinæ studiis & sapientiæ sit dedita.

Καὶ τὰ χαλεπώτερα [d] τῶν ῥᾳδίων. μᾶλλον γὰρ ἀγαπῶμεν ἔχοντες, ἃ μή ἐστι ῥᾳδίως λαβεῖν.

[d] Hoc non habet cod. Alb. Flor.

Et quod est difficilius, procliui: magis enim delectamur possessione rerum, quæ non ita facilè acquiri possunt.

33 Loco, qui traditus est, alium adiungit; & inquit difficilius magis expetendum esse procliui: bona namq; quæ rara sunt, & magna cum difficultate parantur, magis cara habentur, in maioreq; honore sunt apud homines. Ope autem huius loci, virtutem diuitiis ac corporis sanitate, magis expetendam esse, probatur: rara enim & perdifficilis paratu res est: nam, vt inquit Hesiodus,

b *Virtutem sepsêre dij sudore beati.* Sic etiam magis expetenda est cognitio actione; cùm deorum cognitio magis ardua sit: & pulchritudo diuitiis: sunt enim perdifficilia & rara admodum hæc bona.

b *Hanc eundem versum Hesiodi adducit M. T. 1. epist. 18. li. 6. Famil. non integrum tamen.*

ADNOTATIONES.

Et quod est difficilius, procliui] *In primo libro de arte dicendi, cum hunc eundem locum traderet, aliam rationem attulisse videtur, cur difficilia sint anteponenda procliuibus: ea enim (inquit) sunt rariora: rariora autem iam docuerat præstare vulgaribus. Quamquam, cum ibi, quod rarius sit, melius esse diceret quàm id quod vulgare, eandem eius rei causam esse ait, qua hic difficiliora procliuibus anteponẽda ostendit. inquit enim: [Possessio bonorum, quæ sunt rariora, ob difficultatem maior est, atque pluris æstimatur.] Locus autem, qui hic ab Aristotele traditus in primo libro Rhetoricorum repetitur, ita se habet.* καὶ ὅλως δὲ χαλεπώτερον τοῦ ῥᾴονος· σπανιώτερον γάρ. *id est, [Et omnino difficilius procliuiore, quia sit rarius.] In II. etiam libro de moribus ad Nicom. cap. III. laboriosa procliuibus antecellere indicauit: bonitatem enim ipsam ac præstantiam rei præclarè factæ, atq; omnibus suis numeris absolutæ, in eo quod sit difficile, positam esse meliorem inquit; quam ob causam fieri docet, vt ars & virtus in eo, quod sit difficillimum, occupentur, in eoq; magis elucescant. Verba ipsius hæc sunt:* περὶ δὲ τὸ χαλεπώτερον ἀεὶ καὶ τέχνη γίνεται καὶ ἀρετή. καὶ γὰρ τὸ εὖ βέλτιον ἐν τούτῳ. *Ex quo illud tritum sermone & peruulgatum prouerbium est,* τὰ καλὰ δύσκολα, *&* χαλεπὰ τὰ καλά: *quod à Platone plerisq; in locis vsurpatum, Cicero Tuscul. lib. III. sic reddidit:* Quod præclarum, idem arduum. *Item I. Offi.* Sed quò difficilius, hoc præclarius. *Diuersa autem ratione in eodem primo lib. Rhetor. Arist. procliuia difficilioribus anteponẽda esse ostendit: atq; ita superioris loci* ἀντιστροφὴν *exponit, et inquit.* ἄλλον δὲ τρόπον τὸ ῥᾷον τοῦ χαλεπωτέρου· ἔχει γὰρ ὡς βουλόμεθα. *id est, [Alia autem ratione procliuius difficiliori anteponendum est: illud enim se habet vt volumus.] Nemo quidem certe est, quin idem sine labore, quàm cum molestia efficere malit: vnde nos sæpius facilia opera & expedita duris atq; arduis anteponimus. Cicero in suis Topicis breuiter hunc locum exposuit: inquit enim,* Procliuia laboriosis.

Magis enim delectamur] *Hanc eandem sententiam protulit in IX. libro Ethi. ad Nicom. cap. VII. qua docet, vnde fiat, cur benefici eos, de quibus benè meriti sunt, vehementius amare videantur, quàm ij qui beneficium acceperunt, benè de se meritos: beneficium enim accipere (inquit) minimè laboriosum videtur esse, conferre autem difficile atq; operosum: at omnes ea quæ magno labore consecuti sunt, magis amplectuntur & amant, quàm quæ sine vlla difficultate: vt pecunias qui quæsierunt, quàm qui ab alijs acceperunt. Inquit igitur.* τὰ δὲ ἐπιπόνως γενόμενα, πάντες μᾶλλον στέργουσιν, οἷον καὶ τὰ χρήματα οἱ κτησάμενοι τῶν παραλαβόντων: *&c. Eandem etiam ob causam fieri tradit, vt patribus matres liberorum sint amantiores: nam & laboriosior (inquit) partus est, & sciunt certius suos esse. Græca ipsius verba sunt hæc.* διὰ ταῦτα δὲ καὶ αἱ μητέρες φιλοτεκνότεραι· ἐπιπονωτέρα γὰρ ἡ γέννησις, καὶ μᾶλλον ἴσασιν ὅτι αὐτῶν. *[Sed vt locus, qui expositus est, magis patefiat exemplis, ego illud adnotare non grauabor, Aristotelem lib. IIII. eiusdem operis, cò liberalitatẽ quæ in largiendo occupata est, plu-*

ris æstimãdam esse ostendisse, quàm quæ in non accipiendo à quibus accipiendum nõ sit, posita est, quòd facilius sit non accipere, quàm dare: quasi difficiliora præstent proclivibus. inquit enim. καὶ ῥᾷον δὲ τὸ μὴ λαμβάνειν τοῦ δοῦναι. τὸ γὰρ οἰκεῖον ἧττον προΐενται μᾶλλον, ἢ οὐ λαμβάνουσι τὸ ἀλλότριον. *suum enim quisque mavult non profundere, quàm accipere alienum.*

Καὶ τὸ ἰδιαίτερον τοῦ κοινοτέρου.

Et quod est magis proprium, communiore.

34 Illud item, quod sit magis proprium, magis expetendum esse ait cõmuniore. Est autem proprium id, quod uni convenit, vel saltem ei cum paucioribus cõmune est. Ita homini magis expetẽda est prudentia valetudine, cùm illa sit eius propria, hæc cum cæteris animantibus ei communis: & scientia corporis viribus, & ratio pulchritudine. Pluris preterea æstimatur nobilitas pecuniis, cùm eorum, qui ambo obtinent, magis sit propria: & pulchritudo divitiis ob eandem causam. Item, magis propria est bonorum virorum virtus quàm pecunia: nam & improbi pecuniarum sunt participes, virtutis autem nullo modo. Hac eadem de causa quæcunq; per nos ipsos in scientiis vel artibus invenimus, magis amamus, atque cariora habemus.

ADNOTATIONES.

Et quod est magis proprium] Eandem cum hoc loco vim & facultatem habet ille, qui in primo libro de studio dicendi ita ab Aristotele describitur: ὅτι δὲ, οὗ μηδεὶς μετέχει, ἢ οὗ ὀλίγοι· σπανιώτερον γάρ. *idest, [Aliquando autem illud maius bonum est, cuius nulli, aut pauci sint participes: est enim varius.] Idem igitur valet dicere, esse proprium, & esse eiusmodi, ut illius nulli aut pauci sint participes. Sed in libro Rhetorices Arist. aliquando id, quod commune est & pervulgatum, maius bonum esse testatur quàm id, quod proprium sit, & nullis aut paucis concessũ: cuius rei causam reddit inquiẽs, [Ignominiæ enim vertitur, participem non posse fieri bonorum communium.] Locus ergo, ex quo in utranq; partem disseri possit, ita se habet:* καὶ ὅτι μὲν, οὗ πάντες μετέχουσι, μεῖζον· αἰσχρὸν γὰρ τὸ μὴ μετέχειν. ὅτι δὲ, οὗ μηδεὶς, ἢ οὗ ὀλίγοι· σπανιώτερον γάρ.

Καὶ τὸ τοῖς κακοῖς ἀμιγέστερον· αἱρετώτερον γὰρ ᾧ μηδεμία δυσχέρεια ἀκολουθεῖ, ἢ ᾧ ἀκολουθεῖ.

Et quod malis est minus admixtum: illud namque cui nulla molestia comitatur, magis expetendum est quàm id, cui comitatur.

35 Illud preterea, quod malis sit minus admixtum, magis expetendum esse inquit. Atque ita doceri potest, magis expetendam esse temperantiam continentia: temperantia namq; ab omnibus pravis cupiditatibus seiuncta est, continẽtia verò [a] pravas easq; vehementes cupiditates coniunctas habet: & vitam doctrinæ studiis deditam ea, quæ in actione versetur, quòd illa cicumstantibus atq; impendentibus perturbationibus non admiscetur, minusq; conturbatur. Sic etiam cõfirmare possumus, valetudinẽ prestare divitiis, eò quia divitiæ [b] cũ timore coniunctæ sint: & temperantiam fortitudini, si labores & vulnera fortitudini comitantur: & nobilitatem [c] pulchræ corporis speciei.

[a] Vide VII. lib. Ethi.

[b] Unde Aristopha. ἐν πλούτῳ inquit: δειλότατόν ἐσθ᾽ ὁ πλοῦτος. *quod proverbij vim obtinuit: in quã quidem sententiam multa & à Græcis et à Latinis scriptoribus dicuntur.*

[c] Sæpe enim formosis parantur insidiæ.

Ἔτι εἰ ἁπλῶς τοῦτο τούτου βέλτιον, καὶ τὸ βέλτιστον τῶν ἐν τούτῳ, βέλτιον τοῦ ἐν τῷ ἑτέρῳ βελτίστου. οἷον εἰ βελτίων ἄνθρωπος ἵππου ἁπλῶς, καὶ ὁ βέλτιστος ἄνθρωπος τοῦ βελτίστου ἵππου βελτίων.

Præterea, si hoc simpliciter sit illo præstantius, & quod in hoc præstantissimum est, præstantius eo erit, quod in altero sit præstantissimum: ut si homo simpliciter est equo præstantior, & præstantissimus homo præstantissimo equo erit præstantior.

36 Locus eiusmodi est. Si simpliciter aliquod genus speciesue, generi alii specieiue præstat: & quod optimum in genere illo siue specie est, præstabit ei, quod optimum in alio illo genere siue specie sit. Illud autem, *& quod in hoc*, ita accipiendum est, quasi dicatur, & quod in hoc genere seu specie. Si exempli gratia omne genus animatum, omni genere inanimato est præstantius: & quod animatorum est præstantissimum, præstantius eo erit, quod præstantissimum sit in animatorum. Præterea, si homo simpliciter equo simpliciter est melior, & optimus homo optimo equo melior. Itē, si animus corpori præstat, & optimus animus optimo corpori præstabit. Et si vir muliere melior, & optimus vir optima muliere melior.

Καὶ εἰ τὸ βέλτιστον τοῦ βελτίστου βέλτιον, καὶ ἁπλῶς τοῦτο τούτου βέλτιον: οἷον εἰ ὁ βέλτιστος ἄνθρωπος τοῦ βελτίστου ἵππου βελτίων, καὶ ὁ ἁπλῶς ἄνθρωπος τοῦ ἁπλῶς ἵππου βελτίων.

Et si, quod præstantissimum est, eo quod est præstantissimū, præstantius sit: & hoc illo simpliciter præstantius: vt si præstantissimus homo præstantissimo equo sit præstantior, & homo simpliciter equo simpliciter præstantior.

37 Quòd si (inquit) quod optimum est aliquo in genere, optimo alio in genere, præstet, & genus simpliciter generi præstabit: id quod superioris loci conuersio est. Quare si optimus vir optima muliere melior, & vir simpliciter muliere melior. Item, si præstantissimus homo præstantissimo equo præstat, & homo simpliciter equo præstabit. ¶ [a] Sed potest aliquis huic conuersioni occurre reinquiens, optimam quidem mortem optima inambulatione meliorem esse, non tamen mortem simpliciter magis esse expetendam inambulatione. [b] An optima mors non continetur sub morte tanquam sub specie, sicut optimus homo continetur sub homine tanquam sub specie: nam optimus quidem homo est maximè homo, cùm ex hominis virtute talis sit; & omne id, quod in aliquo genere sit optimum, est maximè illud: [c] optima autem mors nō est maximè mors, propterea quòd bonitas & (vt ita dicam) præstantia perfectioque mortis, nō ipsa morte est, quemadmodum in homine est præstantia hominis, sed in aliquo alio; nec [d] morti conuenit ea ratione, qua est mors, sed ratione illius, cui mors oppetitur: siquidem non mortis, sed eius, qui moritur, virtute, optima mors dicitur. Optima ergo mors, & ex morte, & ex hominis, qui moritur, virtute, mixta est: atque [e] optimum illud, & illa præstantia quæ adponitur morti, quæ est malum, melior est optima & salubri inambulatione, quia virtus est magnum bonum. Nam & [f] antea traditum est, bonum aliquod coniunctum cum eo, quod nō sit bonum, posse pluribus bonis magis expetendum esse: præsertim cùm mediocris inambulatio non sit exiguum bonum, cuiusmodi est id, quod est salubre.

a *Dubitatio.*

Solutio.

b *Eandem huius dubitationis solutionem affert Auerroes in suo cōmentario.*

c *Mors uerbi causa honesta nō est magis mors, quàm mors turpis.*

d *καὶ οὐ καθὸ θάνατος. hec recta scriptura est.*

e *τὸ δὲ συγκείμενον τῷ θανάτῳ ὄντι κακῷ, τὴν ἀρετὴν μέγα ἀγαθὸν εἶναι, τοῦτο τῆς ὑγιεινοῦ τι καὶ τῆς ἀρίστου περιπάτου ἄμεινον. Ita videtur legendum.*

f *Loco 23.*

ADNOTATIONES.

Præterea, si hoc simpliciter] *In primo quoque libro de arte dicendi hos duos cōmemoratos locos paulò diuersis verbis exposuit Aristoteles: sed illic tamē eū, qui ab excellētia optimorū quæ sunt in generibus, probat excellentiā generū, prius tradidit, contra atque hic facit. Inquit igitur: καὶ ἐὰν τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου ὑπερέχῃ, καὶ αὐτὰ αὐτῶν. καὶ ὅσα αὐτὰ αὐτῶν, καὶ τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου. οἷον εἰ ὁ μέγιστος ἀνὴρ γυναικὸς τῆς μεγίστης μείζων, καὶ ὅλως οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν μείζους. καὶ εἰ οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν ὅλως μείζους, καὶ ἀνὴρ ὁ μέγιστος τῆς μεγίστης γυναικὸς μείζων. ἀνάλογον γὰρ ἔχουσιν αἱ ὑπεροχαὶ τῶν γενῶν, καὶ τῶν μεγίστων ἐν αὐτοῖς. idest, [Itē, si maximū aliquid exuperet maximū, ipsa quoque exuperabunt ipsa: & si ipsa ipsis præstent, maximum quoque maxima præ-*

stent, maximum quoque maximo præstabit. Si exempli gratia maximus vir maxima muliere maior est, & viri simpliciter mulieribus maiores. Contràque, si viri simpliciter mulieribus maiores, & maximus vir maxima muliere maior. Sibi enim vicissim proportione respondent excellentia generum, & eorum, quæ maxima in ipsis generibus sunt.]

Ἔτι ὧν ἔστι καὶ τοὺς φίλους μετασχεῖν, αἱρετώτερα ἢ ὧν μή.

Præterea, quæ cum amicis communicare licet, iis quæ non licet, magis expetenda sunt.

38 Ex iis quę videntur ęquè expetenda, illa, quorum amici participes esse possunt, iis quorum non possunt, magis expetenda esse inquit: Ita igitur ostendetur, magis expetendam esse virtutem valetudine, & diuitias nobilitati præstare: illæ enim cum amicis communicari possunt, hæc non potest. Hac eadem de causa magis expetēda est doctrina voluptate, cùm is qui voluptatē capit, solus voluptate fruatur, nec illam in alios trāsferre possit: & liberalitas lenitate, propterea quòd lenitas eum dumtaxat, qui illa sit prędıtus, contra iram lenit & mitigat. Sic etiam corporis vires magis expetendę sunt pulchritudine: hæc enim illius tantùm est ornamentum & decus, qui pulchritudinem habeat; corporis autem vires etiam amicis maximè prosunt.

Καὶ ἃ πρὸς τὸν φίλον βουλόμεθα πρᾶξαι μᾶλλον, ἢ ἃ πρὸς τὸν τυχόντα, ταῦτα αἱρετώτερα. οἷον τὸ δικαιοπραγεῖν καὶ εὖ ποιεῖν μᾶλλον, ἢ τὸ δοκεῖν. τοὺς γὰρ φίλους εὖ ποιεῖν βουλόμεθα μᾶλλον, ἢ δοκεῖν· τοὺς δὲ τυχόντας, ἀνάπαλιν.

Et quæ in amicos præstare malumus, iis quæ in quemuis, sunt magis expetenda: vt iustè agere & benefacere, magis quàm videri: amicis enim malumus benefacere, quàm videri; cuiuis autem, contrà.

39 Hoc argumento doceri potest, magis expetendum esse iusto officio fungi, quàm videri: in amicos enim iusto officio verè fungi volumus; in quoslibet autem, etiam videri iusto officio fungi, satis esse putamus: Sed oportet meminisse, probabiles ac verisimiles esse has argumentationes. Hac eadem ratione potest aliquis confirmare, magis expetendum esse commodare, quàm fœnerare: commodamus enim amicis, fœnori damus quibuslibet: & docere, quàm indicare; amicos namque docere expetimus; quibuslibet autem, indicare tantùm volumus.

Καὶ τὰ ἐκ περιουσίας τῶν ἀναγκαίων βελτίω, ἐνίοτε δὲ καὶ αἱρετώτερα. βέλτιον τὸ τοῦ ζῆν τὸ εὖ ζῆν. τὸ δὲ εὖ ζῆν, ἔστιν ἐκ περιουσίας, τὸ δὲ ζῆν ἀναγκαῖον. ἐνίοτε δὲ τὰ βελτίω, οὐχὶ καὶ αἱρετώτερα. οὐ γὰρ εἰ βελτίω, ἀναγκαῖον καὶ αἱρετώτερα. τὸ γοῦν φιλοσοφεῖν βέλτιον τοῦ χρηματίζεσθαι, ἀλλ' οὐχ αἱρετώτερον τῷ ἐνδεεῖ τῶν ἀναγκαίων. τὸ δὲ ἐκ περιουσίας ἐστὶν, ὅταν ὑπαρχόντων τῶν ἀναγκαίων, ἄλλα τινὰ προσκατασκευάζηται τῶν καλῶν τισί. σχεδὸν δὲ ἴσως αἱρετώτερον τὸ ἀναγκαῖόν ἐστι· βέλτιον δὲ, τὸ ἐκ περιουσίας.

Et quæ sunt ornamento, necessariis meliora: interdum etiam optabiliora. Melius enim est bene viuere quàm viuere: benè viuere autem, ornamento est, cùm viuere, sit necessarium. Interdum verò quæ sunt meliora, non sunt etiam optabiliora: neque enim si meliora, iam optabiliora sint necesse est. Philosophari verbi gratia, est quidem melius quàm pecuniam quærere: non tamen ei, qui rebus necessariis egeat, est optabilius. Tum autem quidpiam dicitur esse ornamento, cum suppetunt res necessa-

riæ, & aliæ præterea quædam pulchræ parantur. Ac fortasse quidem id ferè est optabilius, quod necessarium sit: melius autem id, quod ornamento.

40 Scire primùm oportet, quænam sint ea quæ dicuntur esse ornamento, & quę necessaria: ita enī hoc loco vti licebit. Ea igitur sunt necessaria, sine quibus aliquis esse nō potest: ornamento verò illa dicūtur esse, quorū præsentia nō est necessaria, &, quemadmodū ipse inquiet, cum suppetunt res necessariç, & aliç præterea quædā pulchræ parantur. Viuere exēpli gratia, est necessariū; benè viuere autē, est ornamēto: nā addito illo, benè, quod, vt simus, nō est necessariū, exornatur vita, quę est necessaria. Illa igitur, quę sunt ornamēto, meliora esse inquit necessariis: melius enī est, & præstat benè viuere quàm viuere, & benè dicere quàm dicere. Hocque modo quæ sunt pręstantiora, erūt etiā nobis optabiliora: vel[a] potius simpliciter optabiliora. Nam quæ à nobis obtineri nō possūt, licèt pręstantiora sint iis, quę possunt, tamē nō sunt nobis optabiliora: īmortalitas.n. est præstātior quidē vitæ lōginquitate, nobis tamē nō est optabilior. Ex iis igitur, quæ sunt ornamento, alia præter quàm quòd sunt præstantiora, sunt etiam nobis optabiliora, quemadmodū benè dicere quàm dicere: alia pręstantiora quidem sunt, non tamen nobis optabiliora sunt. Præstat verbi gratia philosophari, & litterarum studiis incumbere, quàm pecuniam quærere: at egentibus, & iis, qui tenuitatem suam aliter sustentare non possunt, illud non est optabilius: nam, vt inquit Phocylides, [b]*Viuendi est homini primùm quærenda facultas, Virtus post vitam.* Sic etiam ęgroto optabilius est valere, quàm philosophari. Quamobrem & ferè inquit præstantiora esse ea, quę sunt ornamento; optabiliora autem necessaria. [Particulam autem, *ferè*, non voci, *præstantiora* seu *meliora*, apposuit, sed illi, *optabiliora*. ¶ Ac ea quidem, quæ sunt ornamēto, naturaliter post res necessarias videmur optare, quòd primùm esse oporteat, deinde sic optare quæ sunt ornamēto: res autem necessariç ad id nobis conducunt, vt simus. Vt enim bona corporis habitudo post valetudinē fit, & acies obtutus post obtutum, & velocitas post motū, & (vt semel dixerim) id, quod in vnaquaque re est optimum, post illud quod iam existit: sic quæ sunt ornamento, post res necessarias jam existentes videntur optari & expeti: neque enim horum vtilitas ab illis proficiscitur; siquidem nec esse possunt sine ipsis.

[a] *Legas hic Auerroem, qui mihi videtur optimè sententiam Aristotelis aperire.*

[b] *Hoc Phocylidis dictū refert etiā Plato lib. III. de Republica his verbis.* Φωκυλίδου γάρ, ἦν δ' ἐγώ, οὐκ ἀκούεις, πῶς φησὶ δεῖν, ὅταν τῳ ἤδη βίος ᾖ, ἀρετὴν ἀσκεῖν. *Nō dissimile est illud Horatij epist. I. lib. I. O ciues ciues quærenda pecunia primùm est, Virtus post nummos.*

ADNOTATIONES.

Et quæ sunt ornamento, necessarijs meliora.] *Quæ sint* τὰ ἐκ περιουσίας, *quæ nos nō omnino absurdè reddidimus, ea, quæ sunt ornamento; quamuis hoc in loco ab Aristotele declaretur, optimè tamen intelligi potest ex ijs, quæ ab ipso scribuntur in VII. libro Politicorum cap. X. vbi* τὰ εἰς εὐσχημοσύνην, *&* τὰ εἰς περιουσίαν *pro ijsdem accipit, atque vtraque hæc* τοῖς ἀναγκαίοις *opponit, quemadmodum & hic facit. Docens igitur ibi, ciuitatis distributionem per genera, ab Ægyptijs emanasse, quòd Sesostris multis antè temporibus, quàm Minos in Creta regnaret, fuisset, ita inquit:* σχεδὸν μὲν οὖν καὶ τὰ ἄλλα δεῖ νομίζειν εὑρῆσθαι πολλάκις ἐν τῷ πολλῷ χρόνῳ, μᾶλλον δ' ἀπειράκις. τὰ μὲν γὰρ ἀναγκαῖα τὴν χρείαν διδάσκειν εἰκὸς αὐτήν, τὰ δὲ εἰς εὐσχημοσύνην καὶ περιουσίαν ὑπαρχόντων ἤδη τούτων, εὔλογον λαμβάνειν τὴν αὔξησιν: *& quæ sequuntur. Locus profectò est maximè insignis, & dignus qui obseruetur. Sed animaduertendum est, an M. Tull. lib. II. de Inuent. cùm in rep. quædam esse dixisset, quæ ad corpus ciuitatis pertineant, vt agros, portus, pecuniam, classes, nautas, milites, socios, quibus rebus incolumitas ac libertas retinetur ciuitatis: verbis quæ sequuntur,* τὰ ἐκ περιουσίας *exprēsserit: inquit enim.* Alia verò, quæ iam quiddam magis amplum, & minus necessa-

rium conficiunt: vt vrbis egregia exornatio atque amplitudo, vt quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo, quibus rebus non illud solùm conficitur, vt saluæ & incolumes, verùm etiam vt amplę atque potentes sint ciuitates.

Melius enim est benè viuere, quàm viuere] εὖ ζῆν, ex virtute honestéque viuere *hic significat: quamuis & iucundè viuere, posśit significare: benè viuere enim, etiã apud Terentium in Hecyra in hoc sensu accipitur, cum inquit*. Sanè hercle homo voluptati obsequens fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multùm hæredem iuuant: sibi verò hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, benè.

Καὶ ὃ μὴ ἔστι παρ' ἄλλου πορίσασθαι, ἢ ὃ ἔστι καὶ παρ' ἄλλου. ὁποῖον πέπονθεν ἡ δικαιοσύνη πρὸς ἀνδρείαν.

Et quod ab alio comparare non licet, quàm quod licet: quo modo iustitia ad fortitudinem affecta est.

41 Rariora videntur magis expetenda communioribus: idcircoque quod ab alio comparare non licet, sed id vel solus quispiam posśidet, vel suis viribus tãtùm potest adipisci, magis expetendum est iis, quæ ab alio obtineri queunt. Atque ita concludes, magis expetendas esse virtutes fortunę bonis, quòd illæ per nos ipsos tantùm comparentur, hęc multis aliis oblatis occasionibus, multisque auxiliis posśideantur. Magis præterea expetenda est nobilitas diuitiis: quando quidem multæ sunt parandarum diuitiarum rationes &c. viæ, ęque multorum auxilio possunt acquiri: generis autem nobilitatem non est vt ab vllo adipiscamur. Sic etiam nos in eas facultates, in eosque libros omni cogitatione cu raque incumbimus, quos ab alio habere non licet, etiam si ii deteriores sint cõmunioribus & vulgatis, quo fit, vt in nostris vigiliis ac lucubrationibus multùm elaboremus. Hac eadem ratione ostendi potest, præstare se exercere, quàm medicinã accipere & curari: item, pugiles corona donari, cum illi ad eiusmodi artem exercendam natura sint facti, quàm cum studium adhibuerunt. ¶ Inquit autem ipse, hoc modo affectam esse iustitiam ad fortitudinem. id verò quod dicitur, perspicuum fiet, si primùm intelligatur, quid ab vtraque hac virtute nobis accidat. Videtur igitur à fortitudine quidem id nobis accidere, vt periculis liberemur ac seruemur: à iustitia verò, vt illud, quod ęquum est, cuiq; tribuamus. Ex his igitur,[a] liberatio quidem, quę à fortitudine proficiscitur, potest etiam aliorum auxilio nobis accidere, cùm tamen ipsi non simus fortes: at esse tales, vt illud quod æquum est, cuique tribuamus, id profectò nemini absque propria illius iustitia accidere potest. quamobrem iustitia magis erit expetenda fortitudine. Sed potest etiam contrà dici: nam vt periculis quidem liberemur ac seruemur, nobis nostra opera contingere potest: cùm tamen id, quod æquum est, & à iustitia proficiscitur, ab aliis accipiamus. [Illa autem verba, *& quod ab alio comparare non licet*, de iis [b] quoque possunt intelligi, quæ cùm quis amiserit, non potest recuperare, quòd perierit is, qui fuit illorum auctor: vt si librum amiserit, cuius non sit exemplar, aut aliquod opus, cuius perierit artifex.

[a] Durior interpretatio, nec satis verbis ipsis Aristotelis consentanea.

[b] Hanc explanationem non probo ob verbum illud Græcũ πορίσασθαι: nam ἀναπορίσασθαι dixisset Aristoteles, necesse esset.

ADNOTATIONES.

Et quod ab alio comparare non licet] *Aristoteles in III. libro de arte dicendi, cùm translationẽ laudare, eiusque præstantiam in exornanda oratione indicare vellet, hoc eodem modo argumentatus est: idque ei tribuit, quod ab alio ipsam accipere non posśimus, sed acumine ingenij nostri, sedulitateque eam parauerimus necesse sit: perinde ac illa, quæ natura tantùm studioque nostro acquirimus, optabiliora sint ijs, quæ aliunde comparamus. Inquit igitur.* καὶ λαβεῖν οὐκ ἔστιν αὐτὴν παρ' ἄλλου. *Id quod & in lib. de arte poetarum*

tarum, cùm multùm in vtendis translationibus valere, maximum bonum esse dixisset, his verbis tradidit. τοῦτο γὰρ μόνον οὔτε παρ' ἄλλου ἐστὶ λαβεῖν, εὐφυΐας τε σημεῖον ἐστι. *Non dißimile etiam quiddam protulit in III. libro Ethic. ad Nicom. cap. V. cum rationem quorundam exponeret, qui ostendere conabantur homines non sponte peccare, sed inuitos ac coactos: aiebantque qui à vitijs abhorrerent, & id quod verè bonum est, sumere atque optare possent, benè à natura informatos fuisse: ferens enim laudibus illud ac celebrans, inquit, id esse & maximum, & pulcherrimum omnium,* ὃ παρ' ἑτέρου μὴ οἷόν τε λαβεῖν, μηδὲ μαθεῖν.

Καὶ εἰ τόδε μὲν ἄνευ τοῦδε αἱρετόν, τόδε δὲ ἄνευ τοῦδε μή. οἷον δύναμις ἄνευ φρονήσεως οὐχ αἱρετόν· φρόνησις δὲ ἄνευ δυνάμεως αἱρετόν.

Et si hoc sine illo sit expetendum, illud autem sine hoc minimè. Potentia verbi causa, sine prudentia non est expetenda: sine potentia autem, prudentia expetenda est.

42 E duobus bonis quæ expetantur, si alterum absque altero non sit expetendum, alterum autem etiam per se & absq; altero sit expetendum, hoc erit magis expetendum. Atque hac ratione prudentia magis est expetenda potentia: nam potentia quidem sine prudentia non est expetenda, sine potētia autem prudentia expetenda est. Hoc autem quod traditur, non solùm de ea potentia siue potestate, quæ propriè δύναμις dicitur, verum est, sed etiam de aliis bonis, quæ [a] δυνάμεις, hoc est facultates, ipse appellare cōsueuit: nullum enim & eiusmodi bonum sine prudentia expetendum est. Hoc eodem argumento confirmare poteris, magis expetendam esse virtutem voluptate: nam voluptas absque virtute non est expetenda, virtus autem absque voluptate expetenda est. Sic etiam valetudo magis expetenda est quàm voluptas: valere enim, etiam absque voluptate expetendum est; nemo autem [b] optauerit ægrorum voluptates capere absque valetudine. Non aliam quoque ob causam præstat valere, quàm diuitem aut gloriosum esse; siquidem nihil horum, si valetudine careamus, expetendum est; valere autem, etiam his destituti, expetimus.

[a] *Bona nimirum, quæ sūt instar instrumenti; vt diuitias, aliaque huiusmodi.*

[b] οὐκ ἂν δέξοιτο ζῆς. *Sic emēdaui: quod postea cōfirmauit cod. Me. quanquā non reijcio vulgatam scripturam, quæ habet,* οὐκ ἀνέχοιτο ζῆς: *id est, nemo sustinuerit.*

ADNOTATIONES.

Et si hoc sine illo sit expetendum] *Hac eadem ratione probare possumus, sapientiā anteponendam esse eloquentiæ: nam studium quidem rationis et officij sine dicendi exercitatione expetendum est, cùm illud solū ciuitatibus prodesse poßit: dicēdi autem exercitatio absque rationis & officij studio expetenda non est, quia sola plus mali quàm boni hominibus ac ciuitatibus afferre consueuit. qua de re hæc scribit M. Tullius libro. I. de Inuentione ad initium.* Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimùm sententiā duxit, vt existimē sapientiā sine eloquentia parùm prodesse ciuitatibus: eloquētiā verò sine sapiētia nimiùm obesse plerūq;, prodesse nūquā:] *& quæ sequuntur. In III. quoque lib. de Orat. ad Q. Fra. ob eandem causam rerum cognitionem & scientiā pluris æstimasse videtur, quàm dicendi copiam, & linguæ quandam volubilitatem. Ipsius verba sunt hæc.* Constet autem, neque infantiam eius qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscitiam illius, cui res non suppetit, verba non desint, esse laudandam. quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quàm stultitiam loquacem. *Quam sententiam & in fine lib. de perfecto orat. posuit, hoc modo.* Compositè & aptè, sine sentētiis dicere, insania est: sententiosè autē sine verborū & ordine & modo, infantia; sed eiusmodi tamen infantia, vt ea qui vtantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes: quo qui est contentus, vtatur. *Eodem etiā pacto in libro de perfecto oratore, cùm de actionis præstantiā loqueretur, & ipsam in*

Hac eadem ratione magis expetenda est valetudo quàm voluptas: nam minore reprehensione digni sunt ii, qui valetudinis iacturam dolent, quàm qui voluptate orbati, molestia afficiuntur. Sic etiam, qui necessariis rebus amissis magnū dolorem capit, minus reprehendendus est quàm ille, qui gloria seu existimatione amissa totum se mœstitiæ tradit: ex quo efficitur, vt res necessariæ magis sint expetendæ gloria seu existimatione. Eadem quoque de causa magis expetendæ sunt diuitiæ gloria: nam is, qui se pauperem esse ægrè fert, minus reprehenditur quàm ille, qui de nominis obscuritate angitur & cruciatur. Magis præterea expetendi sunt amici pecuniis, quià minus decet reprehēdere eos, qui amicorum è vita discessu anguntur, quàm quos pecuniarum iactura sollicitos habet. ¶ Illud autem, de cuius amissione qui non laborat, magis reprehendendus est, magis etiam expetendum est. Quàobrem scientia magis expetenda est quàm valetudo: magis enim reprehendimus eos, qui ignorationem non curant nec iniquo animo ferunt, quàm illos, qui ex morbo nullum dolorem hauriunt. Similiter magis expetenda est valetudo diuitiis, quia illi, qui valetudinem negligūt, magis à nobis reprehenduntur. Præterea, cura de republica magis quàm de priuata expetenda est: magis namque vituperamus eos, qui, quòd reipublicæ omnē curam abiecerint, mœrore non contrahuntur, quàm illos, qui [b] priuata re neglēcta nihil animo conflictantur. Hanc etiam ob causam cura de parentibus magis quàm de liberis expetenda est: maiore namque vituperatione digni sunt ii, qui parentum cura abiecta nihil dolore anguntur, nihilque cruciantur. Eademque ratione magis expetendum est erudiri quàm exerceri: magis enim reprehenduntur ii qui eruditionem negligunt, quàm qui exercitationes corporis.

ἔτι τῶν ὑπὸ τὸ αὐτὸ εἶδος τὸ ἔχον τὴν οἰκείαν ἀρετὴν, τοῦ μὴ ἔχοντος αἱρετώτερον. ἀμφοῖν δ' ἐχόντων, τὸ μᾶλλον ἔχον.

Præterea, eorum quæ sub eadem specie sunt, illud quod propria virtute præditum sit, magis expetendum est eo, quod non sit præditum. quòd si vtrumque sit præditum, illud quod magis sit præditum.

45 Cùm propria cuiusq; rei virtus nihil aliud sit, quàm perfecta & ad sūmū perducta illius natura; [a] omne autē id, quod vndiq; perfectū atq; absolutum sit, magis sit expetendū: iure optimo eorū, quę sub eadē specie cōtinentur, illud quod propria virtute prędítū sit, magis expetēdū est eo, quod nō sit prædítū, lōgeq; illi præstat. Homo quidē certè hominis virtute prędítus, homini pręstat, qui hominis virtute nō sit pręditus: omnes autē homines sub eadem specie cōtinentur. Similiter & equus equo, & canis cani præstat. quinimmò & vas vas est præstantius magisque expetendum, quod proprium vsum præbeat, ad quem factū est: hęc enim est vasis virtus. Ope autem huius loci probare poteris, poculum ad bibendum magis idoneum anteponendum esse aureo atque argenteo, quippe cùm hæc poculi virtus sit, non pretium: & domum ad temporis iniurias defendendas aptiorem, pluris esse æstimandam ea, quę lapidibus quidem extructa sit, nō hunc tamen vsum similiter præbeat. Eadem ratio vestis est, quæ si calfaciat, non si purpurea sit, vtilis est: atque etiam gladii; neque enim præstantior aut magis expetēdus est ille, qui sit [b] fulgentior, sed qui maximè accommodatus sit ad pungendum vel incidendum. ¶ Subtiliter autem & accuratè illud addidit, *eorū quæ sub eadem specie sunt*: ita enim verus est hic locus, cùm alioqui falsum sit dicere, eorum quæ sub eodem genere sunt, illud quod propria virtute præditū sit, præstat ei, quod non sit præditum. Neque enim lepus leporis virtute prædi-

b Vt de Sophocle narrat M.Tullius in Catone maiore.

a πᾶν δὲ τέλειον ἁπλῶς αἱρετώτερον. Sic videtur esse legendum, ordine verborum conuerso. cod. autem Med. ab excusis non dissentit.

b ἐλεφαντικώτερον. Sic enim et M.T. Tuscul. V. de Dionysio tyranno loquens: In hoc medio apparatu fulgētem gladiū è lacunari seta equina appensum demitti iussit.

tus, prestat homini, qui hominis virtute non sit præditus; cùm lepus simpliciter non sit homine melior. Eorum autem, quę eiusdem sunt speciei, eandemque virtutem obtinere possunt, illud quod propriam virtutem obtinet, eo quod nō obtinet, præstātius est. ¶ Quòd si vtraque illa, quę in eadem specie reponūtur, propria virtute sint prædita: id profectò erit præstantius atque magis expetendū, quod illa magis sit præditum. Præstantior quidem certè, atque magis expetendus est acrior aspectus, & auditus acutior: item equus, qui equiti magis obediat, & ad currendum sit expeditior: & scientia subtilior atque enucleatior.

ADNOTATIONES.

Præterea, eorum quæ sub eadem] *Rectè hoc in loco admonuit Alexander, nomen ἀρετῆς, quo nunc Aristoteles non propriè vtitur, nihil aliud significare, quàm ἀκρότητα καὶ τελειότητα τῆς οἰκείας ἑκάστου φύσεως, idest perfectam et ad summum perductam cuiusque rei naturam: ita enim & M. Tullius lib. I. de Legibus virtutem descripsit, & Aristot. VII. lib. Physicorum non dissimilibus verbis in definienda virtute vsus est, cū inquit:* ἀλλ' ἡ μὲν ἀρετὴ, τελείωσίς τις ἐστιν· ὅταν γὰρ λάβῃ τὴν ἑαυτοῦ ἀρετὴν, τότε λέγεται τέλειον ἕκαστον. *Sed etiam lib. II.* ἠθικῶν *ad Eudemum nihil aliud uirtutem esse asseruit, quàm optimam affectionem, aut optimum habitum, aut optimam facultatem singulorum, quorum aliquis vsus, vel opus aliquod sit. Plutarchus item in commentario, quo docet, quomodo adolescentes poëtas tractare oporteat, hoc pacto tradit virtutem à veteribus sapientibus definiri solitam:* ἔστι δὲ ἀρετὴ, ἀκρότης τῆς λογικῆς φύσεως. *Quare cùm ἀρετῆς nomine nihil aliud nunc significetur, quàm rerum præstantissima natura, vel præstantissima affectio, vis ac potestas: non debet profectò absurdum uideri, si quis ita loquatur,* λέξεως, ἀποδείξεως, μεγέθους, σώματος, κτήματος, ἔργου, φιλίας, ὀφθαλμοῦ, ἵππου ἀρετή: *quorum omniū extant exēpla apud Arist. Sic enim ille lib. III. Rhetor.* καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ, σαφῆ εἶναι. *idest, [definiatur virtus locutionis esse, vt sit dilucida.] Item lib.* περὶ ποιητικῆς: λέξεως δὲ ἀρετὴ, σαφῆ εἶναι καὶ μὴ ταπεινήν: *quomodo & M. Tullius lib. II. de Orato. locutus est, cum inquit.* Narrationis virtus est, vt sit iucunda, & ad persuadendum accommodata. *& in orat. pro Plancio.* Quo quidē etiam magis sum non dicam miser (natura quidem abhorret à virtute verbi) sed certè exercitus. *Idem Aristot. lib. I. Posteriorum Analyt.* εἰ γὰρ καθ' ἣν μᾶλλον ἐπιστάμεθα ἀπόδειξιν, βελτίων ἀπόδειξις, αὕτη γὰρ ἀρετὴ ἀποδείξεως, *& cet. vbi ducto argumento à virtute demōstrationis, probat eò præstantiorē esse demonstrationē singularem quàm vniuersam, quò demonstrationis virtute magis illa prædita sit: quod quē admodum verum sit, ipse eo in loco declarat: qui quidem diligenter est attendendus, propterea quòd ope huius loci in Topicis expositi argumentatur ibi Aristot. Idem. I. lib.* ῥητορ. μεγέθους ἀρετὴ τὸ ὑπερέχειν τῷ πλήθει. *hoc est, [virtus magnitudinis est, superare multitudinem.] Et ibidem:* σώματος δὲ ἀρετὴ, ὑγίεια. *Idem IIII lib. de moribus ad Nicom.* οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ ἀρετὴ κτήματος καὶ ἔργου. *idest, [non eadem virtus est possessionis et operis.] Idē VIII. lib. eiusdē operis:* μᾶλλον δὲ τῆς φιλίας οὔσης ἐν τῷ φιλεῖν, καὶ τῶν φιλοφίλων ἐπαινουμένων, φίλων ἀρετὴ τὸ φιλεῖν ἔοικεν. *Idē II. lib. eiusdē operis:* οἷον ἡ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετὴ τόν τε ὀφθαλμὸν σπουδαῖον ποιεῖ, καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ. *Et paulò infrà:* ὁμοίως ἡ τοῦ ἵππου ἀρετὴ, *& cet. Sic etiā M. Tul. lib. I. de Legibus:* Nam nec arboris nec equi virtus, quæ dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura. *Item Horatius in episto. ad Piso.* Ordinis hæc virtus erit & Venus, aut ego fallor. *Atque hæc quidem omnia exempla, quæ ad hunc locum maximè pertinebant, placuit mihi colligere, ac sub vno veluti aspectu ponere, quamuis non me lateat, ea à doctissimis uiris maxima ex parte fuisse obseruata.*

Ἔτι εἰ τὸ μὲν ποιεῖ ἀγαθὸν ἐκεῖνο ᾧ ἂν παρῇ, τὸ δὲ μὴ ποιεῖ, τὸ ποιοῦν αἱρετώτερον· καθάπερ καὶ θερμότερον τὸ θερμαῖνον, τοῦ μή. εἰ δ' ἄμφω ποιεῖ, τὸ μᾶλλον ποιοῦν. ἢ εἰ τὸ βέλτιον καὶ κυριώτερον ποιεῖ ἀγαθόν· οἷον εἰ τὸ μὲν τὴν ψυχήν, τὸ δὲ τὸ σῶμα.

Item, si alterum id, cui adest, bonum efficiat, alterum non efficiat: illud quod efficit, est optabilius, quemadmodum etiam calidius id, quod calfacit, quàm quod non calfacit. Quòd si ambo efficiant, illud quod magis efficit. Aut si id bonum efficiat, quod sit melius ac magis præcipuum: vt si alterum bonum efficiat animum, alterum corpus.

46 Quia bona multis modis dicuntur, & alia quidem sua præsentia bonos eos efficiunt, qui illa possident, ceu virtutes; alia verò non efficiunt, vt diuitię, nobilitas, voluptas: ea bona, quæ cum adsunt, bonos efficiunt, magis sunt expetenda. Atque hac ratione quælibet virtus magis expetenda est qualibet voluptate, & quæcumque bona fortuna, omninòque iis bonis, quæ sunt externa, & ad corpus pertinent. Huiusmodi autem bona, esse magis bona magisque expetenda, eò confirmat, quòd & id quod calfacit & calida corpora reddit, magis sit calidum, quàm quod non calfacit: ignis enim est calidior niue, quę & ipsa caliditatem habet, quia ille calfacit, hæc non calfacit: aut ille magis calfacit, hæc minus. ¶ Quòd si vtraque quę inter se comparantur, sua præsentia bonos efficiát, illud, quod magis bonum efficit, magis etiam est expetendum. Atque ita doceri potest, magis expetendam esse virtutem perfectam naturali: ambæ enim bonos eos efficiunt, qui ipsis sunt prædití, sed magis virtus perfecta. ¶ Prętereá, illud, quod præstantius [a] subiectum bonum efficit, magis expetendum est, eo, quod deterius subiectum. Atque hoc modo virtus magis expetenda est valetudine & robore, quòd illa bonum efficiat animum, hæc corpus: præstat autem animus corpori. Eadem quoque de causa magis expetenda est sapientia temperantia: illa enim bonam efficit [b] rationem & intelligentiam, hęc partem animi ad concupiscendum impellentem, quæ cum intelligentia non est conferenda.

Ἔτι ἀπὸ τῶν πτώσεων, καὶ τῶν χρήσεων, καὶ τῶν πράξεων, καὶ τῶν ἔργων. καὶ ταῦτα δὲ ἀπ' ἐκείνων ἀκολουθεῖ ἀλλήλοις. οἷον εἰ τὸ δικαίως αἱρετώτερον τοῦ ἀνδρείως, καὶ ἡ δικαιοσύνη τῆς ἀνδρείας αἱρετώτερον. καὶ εἰ ἡ δικαιοσύνη τῆς ἀνδρείας αἱρετώτερον, καὶ τὸ δικαίως τοῦ ἀνδρείως. παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Præterea, à casibus, vsibus, actionibus, & operibus: & hæc ab illis: sese enim mutuò consequuntur. Si exempli gratia, iustè se gerere magis expetendum est, quàm fortiter, & iustitia magis expetenda erit fortitudine: ac si iustitia magis expetenda sit fortitudine, & iustè se gerere magis expetendum erit, quàm fortiter. Similis autem ratio in aliis valet.

47 Vt in superiore libro id, quod simpliciter expetendum demóstrari potest, à casibus & coniugatis demonstrauit: ita nunc id, quod sit magis expetendum, ab iisdem casibus, & huius generis aliis ostédit: sunt enim hi loci cómunes, quémadmodum & [a] illi superiores, qui à generatione & interitu sumebantur. Eorú igitur, quæ κατὰ πτῶσιν, idest in aduerbii morem proferuntur, si alterum altero magis sit expetendum: & id quod simpliciter dicitur, eo quod simpliciter dicitur, quorum sunt casus seu aduerbia, magis erit expetendum. Sunt autem casus, vt puta iustè, fortiter, & quęcumque hanc vocis formationem habent: quorum

a *Necessitate coacti hoc nomen à recentioribus dialecticis et philosophis mutuati sumus.*

b *Sic & Arist. in extremo I. lib. Ethi. ad Ni. Vbi inquit:* λέγομεν γὰρ αὐτῶν τὰς μὲν διανοητικάς, τὰς δὲ ἠθικάς. σοφίαν μὲν, &c.

a 28, & 29.

aliam causam euenit, nisi quia iustitia est in virtute & bono vt in genere, iustus autem minimè. Vel cum dicit, *iusto*, non eum intelligit qui præditus sit iustitia, sed ius quoddam, quod positione & lege, non natura tale esse possit. Verùm tamen & hoc modo discrimen inter hęc intercedet: nam iustitia quidē est in bono vt in genere, ius autem illud [d] non omnino. quî enim aliter potest intelligi, iustitiam propinquiorem esse bono, nisi aliquis dicat, fini & beatitudini? Atqui hic etiam locus antè fuerat expositus, vt ibi [e] admonebam. [Quòd si vnus sit locus: hoc eo docebit, illud, quod sit propinquius bono, esse melius: explicans autem, quomodo dixerit propinquius, addidit, *quodque bono est similius*: nam quod ita est propinquius, vt ei sit similius, magis expetendum est. Quòd si hoc [f] verũ sit, aut dicendũ duo illi esse exēpla, aut iustitiā propius similitudine quàm ius vel virum iustũ ad bonũ, hoc est ad beatitudinem accedere. neq; enim dixit Aristoteles, *quod est* ἐγγύτερον ἀγαθοῦ, sed τοῦ ἀγαθοῦ: nec *quod est similius* ἀγαθῷ, sed τῷ ἀγαθῷ: quibus vocibus cum [g] articulo coniunctis summum ac perfectissimum bonum significat. Locus autem, qui proximè sequitur, est à similitudine, quæ habetur cum aliis bonis. ¶ Hac igitur ratione doceri potest, magis expetendam esse virtutem bona fortuna, cùm illa beatitudini sit propinquior ac similior: & gloriam voluptate, cùm sit similior honesto. Præterea, magis expetendum est de amicis benè mereri, quàm inimicos damno afficere: illud enim maiorem cum honesto similitudinem habet. [Sed si hic locus diuidatur: actiones quidem ex virtute, & ipsi habitus poterunt accipi in exemplum eius, quod est propinquius bono, cùm actiones sint beatitudini propinquiores: beneficiũ autem dare & accipere, in exemplum eius, quod est similius: nam ad [h] similitudinem propius accedit vitæ beatæ beneficium dare, quàm accipere.

[d] *Contrarium vide cōment. 5.*

[e] *Comment. 16.*

[f] *Locus hic in Græco exēplari mendo fortasse nō vacat: & cod. Med. ab impressis non discrepat.*

[g] *De hac re vide Budæũ in Cōment. lin. Græ.*

[h] *Sic & M. T. lib. I. de Nat. deo. Ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus, quàm figura.*

ADNOTATIONES.

Quod est propinquius bono] *Nisi magnopere fallor, hoc eodem argumento confirmare possumus magis eligendam esse effusionē auaritia, cùm illa sit liberalitati propinquior ac similior, quæ liberalitas bonũ est; et audaciā timiditate & immanitatem in voluptatibus aspernandis, quam* ἀναισθησίαν *Græci appellant, intemperantia; item, duritiem in contemnendo dolore mollicie: hæc enim extrema maiorem cum medio, quod bonum est, similitudinem & affinitatem habent, quàm reliqua, minusque cum illo pugnant. Ex extremis verò alterum propius accedere ad medium, quàm alterum, minusque illi contrariũ esse, docet Arist. in. II. lib. de moribus ad Nico. cap. VIII. vbi etiam, quam ob causam id eueniat, ipse declarans, ijsdem verbis, quibus hic in Topicis, vtitur: vt dubitari non possit, quin exēpla illa quæ nos iam posuimus, maximè ad hũc locũ pertineāt. inquit igitur.* διὰ δύο δ' αἰτίας τοῦτο συμβαίνει *(cur scilicet* πρὸς τὸ μέσον ἀντίκειται, ἐφ' ὧν μὲν μᾶλλον ἡ ἔλλειψις: ἐφ' ὧν δὲ ἡ ὑπερβολή*)* μίαν μὲν, τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πράγματος: τῷ γὰρ ἐγγύτερον εἶναι καὶ ὁμοιότερον τὸ ἕτερον ἄκρον τῷ μέσῳ, οὐ τοῦτο, ἀλλὰ τοὐναντίον ἀντιτίθεμεν μᾶλλον. οἷον ἐπεὶ ὁμοιότερον εἶναι δοκεῖ τῇ ἀνδρείᾳ ἡ θρασύτης καὶ ἐγγύτερον, ἀνομοιότερον δὲ ἡ δειλία, ταύτην μᾶλλον ἀντιτίθεμεν: τὰ γὰρ ἀπέχοντα πλεῖον τοῦ μέσου, ἐναντιώτερα δοκεῖ εἶναι: *& quæ sequuntur. Siquis autem fortasse dixerit exempla, quæ à nobis allata sunt, huic loco Aristotelis non quadrare, is sciat se repugnare indicio limatissimo optimi & pereruditi iuuenis Thomæ Mermanni Coloniensis: à quo cùm sententiam suam requisissem, ut & in hoc libro vertendo, & in alijs meis grauioribus studijs sæpe feci, non solùm mihi assensus fuit, sed etiam acclamauit. Est verò hic iuuenis ita bonarum artium & vtriusque linguæ cognitione instructus, vt omnes eiusdem ætatis virtutes illius laudare faciliùs possint, quàm æmulari. Sed ne hoc, quod di-*

co,

co, beneuolĕtiæ potiùs, qua eum ob suauissimos mores cŏplector, quàm mei iudicij testimonium videatur: is ille est, vt à doctissimo & eloquentissimo Vido Vidio, dum viueret, non in postremis haberetur: qui vir talis fuit, vt nemo vnquam magis de fouendis litteratis hominibus cogitauerit; eo indicio, vt nemo in delectu errauerit minus.

Καὶ τὸ τῷ βελτίονι αὐτῶν ὂν ὁμοιότερον. καθάπερ τὸν Αἴαντα τοῦ Ὀδυσσέως φασὶ βελτίω τινὲς εἶναι, διότι ὁμοιότερος τῷ Ἀχιλλεῖ. ἔνστασις τούτου ἐστὶν, ὅτι οὐκ ἀληθὲς· οὐδὲν γὰρ κωλύει μὴ ᾗ βελτίων ὁ Ἀχιλλεὺς, ταύτῃ ὁμοιότερον εἶναι τὸν Αἴαντα, τοῦ ἑτέρου ὄντος μὲν ἀγαθοῦ, μὴ ὁμοίου δέ. σκοπεῖν δὲ, εἰ καὶ ἐπὶ τὰ γελοιότερα εἴη ὅμοιον, καθάπερ ὁ πίθηκος τῷ ἀνθρώπῳ, τοῦ ἵππου μὴ ὄντος ὁμοίου. οὐ γὰρ καλλίων ὁ πίθηκος, ὁμοιότερον δὲ τῷ ἀνθρώπῳ.

Et quod similius sit ei, quod iis ipsis est præstantius: quemadmodum Aiacem nonnulli Vlysi anteponunt, quòd Achilli esset similior. Sed occurritur loco: propterea quòd nihil prohibet Aiacem, non qua parte Achilles præstantior fuerit, ei similiorem fuisse, & tamen alterum bonum fuisse, etsi non similem. Considerandum est etiam, an iis quæ ridicula sunt, simile sit: quemadmodum simia homini, cùm equus nō sit similis. neque enim præstantior est simia, & si similior homini, quàm equus.

Exposito loco alium adiungit: quo docet, illud ex duobus, quę inter se cōparantur, esse melius magisque expetendum, quod similius sit ei, quod iis ipsis est pręstantius: exemplo autem rem explanat. Quia enim Achilles erat præstantior Aiace & Vlysse, ideò qui ex his duobus similior fuit Achilli, is etiam fuit melior: quare Aiax melior Vlysse, quòd Achilli fuisset similior. ¶ Huic autem loco ab Aristotele occurritur, &, quid ei obsistat, ipse exponit. nam si vnus similior sit ei, non qua parte est præstantior, alter verò similis, qua parte est præstantior: huic non erit ille anteferendus, quamuis eidem sit similior. Achilles exempli causa, erat quidem fortis, atque hoc præstantior Aiace & Vlysse; erat autem & iracundus. quare si ex his qui inter se comparantur, alter iracundia sit ei valdè similis, alter verò fortitudine parùm, non ob eam causam iracundus est melior altero, quòd eidem sit similior. ¶ Illa autem verba, *& tamen alterum bonum fuisse, & si non similem*, ita accipienda sunt, quasi dicant, & si non similem, pro eo quod est, non æquè similem: sic enim seruabitur comparatio. Sed potest hoc simpliciter dictum esse: nam & in eo quod sequitur, non inquit equum esse minus similem homini quàm simiam, sed simiam quidem in re tenui & ridicula esse similem, equum autem nullo modo similem. Potest enim aliquis, vt inquit, esse similis alicui, sed in re tenui & leui, vt [a] simia homini: quę quidem simia nō ob id erit melior equo, quòd ita sit similis homini, qui & simiæ & equo pręstat. Similitudo igitur in rebus pręstantioribus sit oportet, nō in iis quæ nullius sunt momenti, si is qui est similior præstantiori, debeat esse pręstantior. ¶ Atque hoc sanè modo docere possumus, præstantiorem esse eum qui donat, quàm qui accipit, quòd ille sit similior Deo: & [b] cognitionem contemplationemque, quàm actionem ob eandem causam.

[a] *Quare Lycophron, cùm insignem Thersitis turpitudinem exprimere vellet, πιθηκόμορφον illum appellauit, idest similem simiæ. sed etiam Ennius inquit: Simia quàm similis turpissima bestia nobis?*

[b] Θεωρίαν. *ita videtur vertere hanc vocem Cicero I. Offic. propè finem, cum inquit. Actio igitur, quæ in hominum commodis tuendis maximè cernitur, anteponenda est cognitioni, quæ manca quodāmodo atque inchoata sit, si nulla actio rerū cōsequatur. Itē III. de Orat. qui à regendis ciuitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt.*

ADNOTATIONBS.

Et quod similius sit ei, quod ijs ipsis est præstantius] καὶ τὸ τῷ βελτίονι αὐτῶν ὂν ὁμοιότερον *hanc scripturam agnouit Alexander, vt ex eius commentario facilè intelligi licet: quam nonnulli etiam codices confirmant. Antea enim mendosè legebatur:* καὶ τὸ τῷ βελτίονι αὐτοῦ ὂν ὁμοιότερον. *nos autem hæc verba satis fideliter vertimus, & Aristotelis sententiam expressimus.*

πάλιν ἐπὶ δυοῖν, εἰ τὸ μὲν τῷ βελτίονι, τὸ δὲ τῷ χείρονι ὁμοιότερον, ἂν αὖ βέλτιον τὸ τῷ βελτίονι ὁμοιότερον, ἔχει δὲ καὶ τοῦτο ἔνστασιν. οὐδὲν γὰρ κωλύει τὸ μὲν τῷ βελτίονι ἠρέμα ὅμοιον εἶναι, τὸ δὲ τῷ χείρονι σφόδρα: οἷον εἰ ὁ μὲν Αἴας τῷ Ἀχιλλεῖ ἠρέμα, ὁ δ' Ὀδυσσεὺς τῷ Νέστορι σφόδρα. καὶ εἰ τὸ μὲν τῷ βελτίονι ὅμοιον, ἐπὶ τὰ χείρω ὅμοιον εἴη: τὸ δὲ τῷ χείρονι, ἐπὶ τὰ βελτίω, καθάπερ ἵππος ὄνῳ, καὶ πίθηκος ἀνθρώπῳ:

Item, è duobus si vnum meliori, alterum deteriori similius sit, melius erit id, quod similius sit meliori. Sed & huic loco occurritur: nihil enim prohibet alterum meliori parùm esse simile, alterum deteriori valdè: vt si Aiax parùm similis sit Achilli, Vlysses autem valdè Nestori. Item si, quod meliori est simile, in rebus deterioribus fuerit simile; illud verò, quod deteriori, in melioribus: vt equus asino, & simia homini.

31 Exposito loco à similitudine, vbi vnum erat id, ad quod sumebatur similitudo eorum, quæ inter se comparantur: alium subiungit, si non vnum sit id, ad quod maior similitudo inuestigatur, sed duo, & alterum quidem melius, alterũ autem deterius. Ergo si ex iis quæ comparantur, vnum meliori, alterum deteriori simile sit, melius erit id, quod cum meliore similitudinem habet. ¶ Sed & hoc in loco, vt vitetur id quod posset occurrere, similitudo in re præstantiore sit oportet: nec vnius præterea parua, alterius autem magna accipienda est. Nam si non in re præstantiore aliquid simile sit ei, quod est præstantius, illud non erit præstantius: ob id enim simia non præstat equo, quamuis illa cum homine, hic cum asino similitudinem habeat, quia illa in re deteriore ac leuiore similis est, hic in præstantiore maiorisque momenti. Præterea, si id quod est simile præstantiori, parùm fuerit illi simile, quod verò deteriori, valdè: ne hoc quidẽ modo, quod simile est præstantiori, erit omnino præstantius. nam si Vlysses parùm similis sit Nestori, qui est Achille præstantior, Aiax autẽ valdè Achilli: iam Vlysses nõ erit Aiace præstãtior. Ipse tamen Aristoteles cùm Achille præstãtiorem Nestore in allato exemplo accepisset, sic comparationem fecit. Similitudines autem sumendæ sunt ex vtroque eorum, quibus cum similitudo habet aliquid boni. ¶ Ope igitur huius loci probare possumus, a despicientiam præstare audaciæ: illa enim b similior magnanimitati, hæc fortitudini: magnanimitatem autem præstantiorem virtutẽ esse, c constitutum est. Præstat etiam benefacere, quàm beneficio affici: siquidem illud simile est ei, qui non eget, hoc egenti. Eodemque modo virtus in actione consistens præstat ei, quæ in habitu posita sit: illa enim similis est iis quæ actu sunt, hæc iis quæ potestate.

a ὑπεροψίαν βελτίω εἶναι θρασύτητος. ἡ μὲν γὰρ ὑπεροψία. Sic coniectura ducti hunc locum suppleuimus, qui manifestò erat mutilatus tùm in impresso cod. tùm in manuscripto Med.

b De hoc Aristo. IIII. lib. Ethi. cap. III. vnde & M. T. in Partit. inquit: Magnitudinem animi imitatur despicientia in contemnendis honoribus.

c IIII. lib. Ethi. Cap. 3. vbi auctor ait. ἔοικε μὲν οὖν ἡ μεγαλοψυχία οἷον κόσμος τις εἶναι τῶν ἀρετῶν, & quæ sequuntur.

Ἄλλος. τὸ ἐπιφανέστερον τοῦ ἧττον τοιούτου.

Alius locus. Quod est magis insigne, eo quod sit minus insigne.

32 E duobus bonis quæ expetantur, illud (si cętera paria sunt) magis expetendum esse inquit, quod sit magis insigne & præclarum. Præclarius autem quiddam & illustrius est, ciuitatem beneficio afficere, quàm vnum hominem duntaxat; & regem esse quàm priuatum; benefacere quàm ditescere; concionari quàm causas dicere; fortitudo temperantia; magnificentia liberalitate. Eodemq; modo docere aliquis potest, magis expetendam esse actionem cognitione & scientia: uita enim quæ in actione versatur, magis conspicua atq; clara est ea, quæ doctrinæ studiis & sapientiæ sit dedita.

• Hoc non habet cod. Alb. Flor.

Καὶ τὸ χαλεπώτερον τοῦ ῥᾴονος· μᾶλλον γὰρ ἀγαπῶμεν ἔχοντες, ἃ μὴ ἔστι ῥᾳδίως λαβεῖν.

Et quod est difficilius, procliui: magis enim delectamur posses sione rerum, quæ non ita facilè acquiri possunt.

33 Loco, qui traditus est, alium adiungit; & inquit difficilius magis expetendum esse procliui: bona namq; , quæ rara sunt, & magna cum difficultate parantur, magis cara habentur, in maioreq; honore sunt apud homines. Ope autem huius loci, virtutem diuitiis ac corporis sanitate, magis expetendam esse, probatur: rara enim & perdifficilis paratu res est: nam, vt inquit Hesiodus,

b *Virtutem sepsêre dij sudore beati.* Sic etiam magis expetenda est cognitio actione; cùm deorum cognitio magis ardua sit: & pulchritudo diuitiis: sunt enim perdifficilia & rara admodum hæc bona.

b Hunc eundem versum Hesiodi adducit M. T. in epist. 18. li. 6. Fami. non integrum tamen.

ADNOTATIONES.

Et quod est difficilius, procliui] *In primo libro de arte dicendi, cum hunc eundem locum traderet, aliam rationem attulisse videtur, cur difficilia sint anteponenda procliuibus: ea enim (inquit) sunt rariora: rariora autem iam docuerat præstare vulgaribus. Quanquam, cum ibi, quod rarius sit, melius esse diceret quàm id quod vulgare, eandem eius rei causam esse ait, qua hic difficiliora procliuibus anteponẽda ostendit. inquit enim: [Possessio bonorum, quæ sunt rariora, ob difficultatem maior est, atque pluris æstimatur.] Locus autem, qui hic ab Aristotele traditus in primo libro Rhetoricorum repetitur, ita se habet.* καὶ ὅλως δὲ χαλεπώτερον τοῦ ῥᾴονος· σπανιώτερον γάρ. *idest, [Et omnino difficilius procliuiore, quia sit rarius.] In II. etiam libro de moribus ad Nicom. cap. III. laboriosa procliuibus antecellere indicauit: bonitatem enim ipsam ac præstantiam rei præclarè factæ, atq; omnibus suis numeris absolutæ, in eo quod sit difficile, positam esse meliorem inquit: quam ob causam fieri docet, vt ars & virtus in eo, quod sit difficillimum, occupentur, in eoq; magis elucescant. Verba ipsius hæc sunt:* περὶ δὲ τὸ χαλεπώτερον ἀεὶ καὶ τέχνη γίνεται καὶ ἀρετή. καὶ γὰρ τὸ εὖ βέλτιον ἐν τούτῳ. *Ex quo illud tritum sermone & peruulgatum prouerbium est,* τὰ καλὰ δύσκολα, *&* χαλεπὰ τὰ καλά: *quod à Platone plerisq; in locis vsurpatum, Cicero Tuscul. lib. III. sic reddidit:* Quod præclarum, idem arduum. *Item I. Offi.* Sed quò difficilius, hoc præclarius. *Diuersa autem ratione in eodem primo lib. Rhetor. Arist. procliuia difficilioribus anteponẽda esse ostendit: atq; ita superioris loci* ἀντιστροφὴν *exponit, et inquit.* ἄλλον δὲ τρόπον τὸ ῥᾷον τοῦ χαλεπωτέρου· ἔχει γὰρ ὡς βουλόμεθα. *idest, [Alio autem ratione procliuius difficiliori anteponendum est: illud enim se habet vt volumus.] Nemo quidem certe est, quin idem sine labore, quàm cum molestia efficere malit: vnde nos sæpius facilia opera & expedita duris atq; arduis anteponimus. Cicero in suis Topicis breuiter hunc locum exposuit: inquit enim,* Procliuia laboriosis.

Magis enim delectamur] *Hanc eandem sententiam protulit in IX. libro Ethi. ad Nicom. cap. VII. qua docet, vnde fiat, cur benefici eos, de quibus benè meriti sunt, vehementius amare videantur, quàm ij qui beneficium acceperunt, benè de se meritos: beneficium enim accipere (inquit) minimè laboriosum videtur esse, conferre autem difficile atq; operosum: at omnes ea quæ magno labore consecuti sunt, magis amplectuntur & amant, quàm quæ sine vlla difficultate: vt pecunias qui quæsierunt, quàm qui ab alijs acceperunt. Inquit igitur.* τὰ δὲ τὰ ἐπιπόνως γενόμενα, πάντες μᾶλλον στέργουσιν, οἷον καὶ τὰ χρήματα οἱ κτησάμενοι τῶν παραλαβόντων: *&c. Eandem etiam ob causam fieri tradit, vt patribus matres liberorum sint amantiores: nam & laboriosior (inquit) partus est, & sciunt certius suos esse. Græca ipsius verba sunt hæc.* διὰ ταῦτα δὲ καὶ αἱ μητέρες φιλοτεκνότεραι· ἐπιπονωτέρα γὰρ ἡ γέννησις, καὶ μᾶλλον ἴσασιν ὅτι αὐτῶν. *[Sed vt locus, qui expositus est, magis patefiat exemplis, ego illud adnotare non grauabor, Aristotelem lib. IIII. eiusdem operis, eò liberalitatẽ quæ in largiendo occupata est, plu-*

vis æstimãdam esse ostendisse, quàm quæ in non accipiendo à quibus accipiendum nõ sit, posita est, quòd facilius sit non accipere, quàm dare: quasi difficiliora præstent procliuibus. inquit enim. καὶ ῥᾷον δὲ τὸ μὴ λαμβάνειν τοῦ δοῦναι. τὸ γὰρ οἰκεῖον ἧττον προΐενται μᾶλλον, ἢ οὐ λαμβάνουσι τὸ ἀλλότριον. *suum enim quisque mauult non profundere, quàm accipere alienum.*

Καὶ τὸ ἰδιαίτερον τοῦ κοινοτέρου.

Et quod est magis proprium, communiore.

34 Illud item, quod sit magis proprium, magis expetendum esse ait cõmuniore. Est autem proprium id, quod vni conuenit, vel saltem ei cum paucioribus cõmune est. Ita homini magis expetẽda est prudentia valetudine, cùm illa sit eius propria, hæc cum cæteris animantibus ei communis: & scientia corporis viribus, & ratio pulchritudine. Pluris prĉterea æstimatur nobilitas pecuniis, cùm eorum, qui ambo obtinent, magis sit propria: & pulchritudo diuitiis ob eandem causam. Item, magis propria est bonorum virorum virtus quàm pecunia: nam & improbi pecuniarum sunt participes, virtutis autem nullo modo. Hac eadem de causa quæcunq; per nos ipsos in scientiis vel artibus inuenimus, magis amamus, atque cariora habemus.

ADNOTATIONES.

Et quod est magis proprium] Eandem cum hoc loco vim & facultatem habet ille, qui in primo libro de studio dicendi ita ab Aristotele describitur: ὅτι δὲ, οὗ μηδεὶς μετέχει, ἢ οὗ ὀλίγοι: σπανιώτερον γάρ. *idest, [Aliquando autem illud maius bonum est, cuius nulli, aut pauci sint participes: est enim rarius.] Idem igitur valet dicere, esse proprium, & esse eiusmodi, vt illius nulli aut pauci sint participes. Sed in libro Rhetorices Arist. aliquando id, quod commune est & peruulgatum, maius bonum esse testatur quàm id, quod proprium sit, & nullis aut paucis concessũ: cuius rei causam reddit inquiẽs, [Ignominiæ enim vertitur, participem non posse fieri bonorum communium.] Locus ergo, ex quo in utranq; partem differi poßit, ita se habet:* καὶ ὅτι μὲν, οὗ πάντες μετέχουσι, μεῖζον: ἀτιμία γὰρ τὸ μὴ μετέχειν. ὅτι δὲ, οὗ μηδεὶς, ἢ οὗ ὀλίγοι: σπανιώτερον γάρ.

Καὶ τὸ τοῖς κακοῖς ἀκοινωνητότερον· αἱρετώτερον γὰρ ᾧ μηδεμία δυσχέρεια ἀκολουθεῖ, ἢ ᾧ ἀκολουθεῖ.

Et quod malis est minus admixtum: illud namque cui nulla molestia comitatur, magis expetendum est quàm id, cui comitatur.

35 Illud prĉterea, quod malis sit minus admixtum, magis expetendum esse inquit. Atque ita doceri potest, magis expetendũ esse temperantiam continentia: temperantia namq; ab omnibus prauis cupiditatibus seiuncta est, continẽtia verò [a] prauas easq; vehementes cupiditates coniunctas habet: & vitam doctrinæ studiis deditam ea, quæ in actione versetur, quòd illa cicumstantibus atq; impendentibus perturbationibus non admiscetur, minusq; conturbatur. Sic etiam cõfirmare possumus, valetudinẽ prĉstare diuitiis, eò quia diuitiæ [b] cũ timore coniunctæ sint: & temperantiam fortitudini, si labores & vulnera fortitudini comitantur: & nobilitatem [c] pulchræ corporis speciei.

[a] *Vide VII. lib. Ethi.*

[b] *Vnde Aristopha.* ἐν Πλούτῳ *inquit:* δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος. *quod prouerbij vim obtinuit: in quã quidem sententiam multa & à Græcis et à Latinis scriptoribus dicuntur.*

[c] *Sæpe enim formosis parantur insidiæ.*

Ἔτι εἰ ἁπλῶς τοῦτο τούτου βέλτιον, καὶ τὸ βέλτιστον τῶν ἐν τούτῳ, βέλτιον τοῦ ἐν τῷ ἑτέρῳ βελτίστου: οἷον εἰ βελτίων ἄνθρωπος ἵππου ἁπλῶς, καὶ ὁ βέλτιστος ἄνθρωπος τοῦ βελτίστου ἵππου βελτίων.

Præterea, si hoc simpliciter sit illo præstantius, & quod in hoc præstantissimum est, præstantius eo erit, quod in altero sit præstantissimum: vt si homo simpliciter est equo præstantior, & præstantissimus homo præstantissimo equo erit præstantior.

36 Locus eiuſmodi eſt. Si ſimpliciter aliquod genus ſpeciesue, generi alii ſpecieiue pręſtat: & quod optimum in genere illo ſiue ſpecie eſt, pręſtabit ei, quod optimum in alio illo genere ſiue ſpecie ſit. Illud autem, *& quod in hoc*, ita accipiendum eſt, quaſi dicatur, & quod in hoc genere ſeu ſpecie. Si exempli gratia omne genus animatum, omni genere inanimato eſt præſtantius: & quod animatorum eſt præſtantiſsimum, præſtantius eo erit, quod præſtantiſsimum ſit in animatorum. Pręterea, ſi homo ſimpliciter equo ſimpliciter eſt melior, & optimus homo optimo equo melior. Itē, ſi animus corpori præſtat, & optimus animus optimo corpori præſtabit. Et ſi vir muliere melior, & optimus vir, optima muliere melior.

Καὶ εἰ τὸ βέλτιστον τοῦ βελτίστου βέλτιον, καὶ ἁπλῶς τοῦτο τούτου βέλτιον: οἷον εἰ ὁ βέλτιστος ἄνθρωπος τοῦ βελτίστου ἵππου βελτίων, καὶ ὁ ἁπλῶς ἄνθρωπος τοῦ ἁπλῶς ἵππου βελτίων.

Et ſi, quod præſtantiſsimum eſt, eo quod eſt præſtantiſsimū, præſtantius ſit: & hoc illo ſimpliciter præſtantius: vt ſi præſtantiſsimus homo præſtantiſsimo equo ſit præſtantior, & homo ſimpliciter equo ſimpliciter præſtantior.

37 Quòd ſi (inquit) quod optimum eſt aliquo in genere, optimo alio in genere, præſtet, & genus ſimpliciter generi præſtabit: id quod ſuperioris loci conuerſio eſt. Quare ſi optimus vir optima muliere melior, & vir ſimpliciter muliere melior. Item, ſi præſtantiſsimus homo præſtantiſsimo equo præſtat, & homo ſimpliciter equo pręſtabit. ¶ a Sed poteſt aliquis huic conuerſioni occurrere inquiens, optimam quidem mortem optima inambulatione meliorem eſſe, non tamen mortem ſimpliciter magis eſſe expetendam inambulatione. b An optima mors non continetur ſub morte tanquam ſub ſpecie, ſicut optimus homo continetur ſub homine tanquam ſub ſpecie: nam optimus quidem homo eſt maximè homo, cùm ex hominis virtute talis ſit; & omne id, quod in aliquo genere ſit optimum, eſt maximè illud: c optima autem mors nō eſt maximè mors, propterea quòd bonitas & (vt ita dicam) pręſtantia perfectioque mortis, nō ipſa morte eſt, quemadmodum in homine eſt præſtantia hominis, ſed in aliquo alio; nec d morti conuenit ea ratione, qua eſt mors, ſed ratione illius, cui mors oppetitur: ſiquidem non mortis, ſed eius, qui moritur, virtute, optima mors dicitur. Optima ergo mors, & ex morte, & ex hominis, qui moritur, virtute, mixta eſt: atque e optimum illud, & illa præſtantia quę adponitur morti, quæ eſt malum, melior eſt optima & ſalubri inambulatione; quia virtus eſt magnum bonum. Nam & f antea traditum eſt, bonum aliquod coniunctum cum eo, quod nō ſit bonum, poſſe pluribus bonis magis expetendum eſſe: præſertim cùm mediocris inambulatio non ſit exiguum bonum, cuiuſmodi eſt id, quod eſt ſalubre.

a *Dubitatio.*

Solutio.

b *Eandem huius dubitationis ſolutionem affert Auerroes in ſuo commentario.*

c *Mors urbi cauſa honeſta nō eſt magis mors, quàm mors turpis.*

d καὶ οὐ καθὸ θάνατος. *hæc recta ſcriptura eſt.*

e τὸ δὲ προσκείμενον τῷ θανάτῳ ὅτι καλῷ, τὴν ἀρετὴν μέγα ἀγαθὸν εἶναι, τοῦτο τοῦ ὑγιεινοῦ τε καὶ τοῦ ἀρίστου περιπάτου ἄμεινον. *Ita videtur legendum.*

f *Loco 23.*

ADNOTATIONES.

Preterea, ſi hoc ſimpliciter] *In primo quoque libro de arte dicendi hos duos commemoratos locos paulò diuerſis verbis expoſuit Ariſtoteles: ſed illic tamē eū, qui ab excellētia optimorū quę ſunt in generibus, probat excellentiā generū, prius tradidit; contra atque hic facit. Inquit igitur:* καὶ ἐὰν τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου ὑπερέχῃ, καὶ αὐτὰ αὐτῶν. καὶ ὅσα αὐτὰ αὐτῶν, καὶ τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου. οἷον εἰ ὁ μέγιστος ἀνὴρ γυναικὸς τῆς μεγίστης μείζων, καὶ ὅλως οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν μείζους. καὶ εἰ οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν ὅλως μείζους, καὶ ἀνὴρ ὁ μέγιστος τῆς μεγίστης γυναικὸς μείζων. ἀνάλογον γὰρ ἔχουσιν αἱ ὑπεροχαὶ τῶν γενῶν, καὶ τῶν μεγίστων ἐν αὐτοῖς. *id eſt,* [*Itē, ſi maximū aliquid exuperet maximū, ipſa quoque exuperabunt ipſa: & ſi ipſa ipſis præſtent, maximum quoque maximo præ-*

stent, maximum quoque maximo præstabit. Si exempli gratia maximus vir maxima muliere maior est, & viri simpliciter mulieribus maiores. Contràque si viri simpliciter mulieribus maiores, & maximus vir maxima muliere maior. Sibi enim vicissim proportione respondent excellentiæ generum, & eorum, quæ maxima in ipsis generibus sunt.]

Ἔτι ὧν ἔστι καὶ τοὺς φίλους μετασχεῖν, αἱρετώτερα ἢ ὧν μή.

Præterea, quæ cum amicis communicare licet, iis quæ non licet, magis expetenda sunt.

38 Ex iis quę videntur ęquè expetenda, illa, quorum amici participes esse possunt, iis quorum non possunt, magis expetenda esse inquit. Ita igitur ostendetur, magis expetendam esse virtutem valetudine, & diuitias nobilitati præstare; illæ enim cum amicis communicari possunt, hæc non potest. Hac eadem de causa magis expetẽda est doctrina voluptate, cùm is qui voluptatẽ capit, solus voluptate fruatur, nec illam in alios trãsferre possit: & liberalitas lenitate, propterea quòd lenitas eum dumtaxat, qui illa sit prędıtus, contra iram lenit & mitigat. Sic etiam corporis vires magis expetendę sunt pulchritudine: hæc enim illius tantùm est ornamentum & decus, qui pulchritudinem habeat; corporis autem vires etiam amicis maximè prosunt.

Καὶ ἃ πρὸς τὸν φίλον βουλόμεθα πρᾶξαι μᾶλλον, ἢ ἃ πρὸς τὸν τυχόντα, ταῦτα αἱρετώτερα. οἷον τὸ δικαιοπραγεῖν καὶ εὖ ποιεῖν μᾶλλον, ἢ τὸ δοκεῖν. τοὺς γὰρ φίλους εὖ ποιεῖν βουλόμεθα μᾶλλον, ἢ δοκεῖν: τοὺς δὲ τυχόντας, ἀνάπαλιν.

Et quæ in amicos præstare malumus, iis quæ in quemuis, sunt magis expetenda: vt iustè agere & benefacere, magis quàm videri: amicis enim malumus benefacere, quàm videri; cuiuis autem, contrà.

39 Hoc argumento doceri potest, magis expetendum esse iusto officio fungi, quàm videri: in amicos enim iusto officio verè fungi volumus; in quoslibet autem, etiam videri iusto officio fungi, satis esse putamus. Sed oportet meminisse, probabiles ac verisimiles esse has argumentationes. Hac eadem ratione potest aliquis confirmare, magis expetendum esse commodare, quàm fœnerare: commodamus enim amicis, fœnori damus quibuslibet: & docere, quàm indicare; amicos namque docere expetimus, quibuslibet autem, indicare tantùm volumus.

Καὶ τὰ ἐκ περιουσίας τῶν ἀναγκαίων βελτίω, ἐνίοτε δὲ καὶ αἱρετώτερα. βέλτιον τὸ τοῦ ζῆν τὸ εὖ ζῆν. τὸ δὲ εὖ ζῆν, ἐστὶν ἐκ περιουσίας, τὸ δὲ ζῆν ἀναγκαῖον. ἐνίοτε δὲ τὰ βελτίω, οὐχὶ καὶ αἱρετώτερα· οὐ γὰρ εἰ βελτίω, ἀναγκαῖον καὶ αἱρετώτερα. τὸ γοῦν φιλοσοφεῖν βέλτιον τοῦ χρηματίζεσθαι, ἀλλ' οὐχ αἱρετώτερον τῷ ἐνδεεῖ τῶν ἀναγκαίων. τὸ δὲ ἐκ περιουσίας ἐστὶν, ὅταν ὑπαρχόντων τῶν ἀναγκαίων, ἄλλα τινὰ προσκατασκευάζηται τῶν καλῶν τισί. σχεδὸν δὲ ἴσως αἱρετώτερόν τὸ ἀναγκαῖόν ἐστι: βέλτιον δὲ, τὸ ἐκ περιουσίας.

Et quæ sunt ornamento, necessariis meliora: interdum etiam optabiliora. Melius enim est bene viuere quàm viuere: bene viuere autem, ornamento est, cùm viuere, sit necessarium. Interdum verò quæ sunt meliora, non sunt etiam optabiliora: neque enim si meliora, iam optabiliora sint necesse est. Philosophari verbi gratia, est quidem melius quàm pecuniam quærere: non tamen ei, qui rebus necessariis egeat, est optabilius. Tum autem quidpiam dicitur esse ornamento, cum suppetunt res necessa-

riæ,& aliæ præterea quædam pulchræ parantur. Ac fortasse quidem id ferè est optabilius, quod necessarium sit: melius autem id, quod ornamento.

40 Scire primùm oportet, quænam sint ea quæ dicuntur esse ornamento, & quę necessaria: ita enī hoc loco vti licebit. Ea igitur sunt necessaria, sine quibus aliquis esse nō potest: ornamento verò illa dicūtur esse, quorū præsentia nō est necessaria, &, quemadmodū ipse inquiet, cum suppetunt res necessarię, & alię præterea quædā pulchræ parantur. Viuere exēpli gratia, est necessariū; benè viuere autē, est ornamēto: nā addito illo, benè, quod, vt simus, nō est necessariū, exornatur vita, quę est necessaria. Illa igitur, quę sunt ornamēto, meliora esse inquit necessariis: melius enī est, & præstat benè viuere quàm viuere, & benè dicere quàm dicere. Hocque modo quæ sunt prę̄stantiora, erūt etiā nobis optabiliora: vel[a] potius simpliciter optabiliora. Nam quæ à nobis obtineri nō possūt, licèt prę̄stantiora sint iis, quę possunt, tamē nō sunt nobis optabiliora: imortalitas. n. est præstātior quidē vitæ lōginquitate, nobis tamē nō est optabilior. Et ex iis igitur, quæ sunt ornamento, alia præter quàm quòd sunt præstantiora, sunt etiam nobis optabiliora, quemadmodū benè dicere quàm dicere: alia prę̄stantiora quidem sunt, non tamen nobis optabiliora sunt. Præstat verbi gratia philosophari, & litterarum studiis incumbere, quàm pecuniam quærere: at egentibus, & iis, qui tenuitatem suam aliter sustentare non possunt, illud non est optabilius: nam, vt inquit Phocylides, [b]*Viuendi est homini primùm quærenda facultas, Virtus post vitam.* Sic etiam ęgroto optabilius est valere, quàm philosophari. Quamobrem & ferè inquit præstantiora esse ea, quę sunt ornamento; optabiliora autem necessaria. [Particulam autem, *ferè*, non voci, *præstantiora* seu *meliora*, apposuit, sed illi, *optabiliora*. ¶ Ac ea quidem, quæ sunt ornamēto, naturaliter post res necessarias videmur optare, quòd primùm esse oporteat, deinde sic optare quæ sunt ornamēto: res autem necessarię ad id nobis conducunt, vt simus. Vt enim bona corporis habitudo post valetudinē fit, & acies obtutus post obtutum, & velocitas post motū, & (vt semel dixerim) id, quod in vnaquaque re est optimum, post illud quod iam existit: sic quæ sunt ornamento, post res necessarias jam existentes videntur optari & expeti: neque enim horum vtilitas ab illis proficiscitur; siquidem nec esse possunt sine ipsis.

[a] *Legas hic Auerroem, qui mihi videtur optimè sententiam Aristotelis aperire.*

[b] *Hoc Phocylidis dictū refert etiā Plato lib. III. de Republica his verbis.* Φωκυλίδου γὰρ, ἦν δ' ἐγὼ, οὐκ ἀκούεις, πῶς φησὶ δεῖν, ὅταν τῳ ἤδη βίος ᾖ, ἀρετὴν ἀσκεῖν. *Nō dissimile est illud Horatij epist. I. lib. I. O ciues ciues quærenda pecunia primùm est, Virtus post nummos.*

ADNOTATIONES.

Et quæ sunt ornamento, necessarijs meliora.] Quæ sint τὰ ἐν περιουσίᾳ, *quæ nos nō omnino absurdè reddidimus, ea, quæ sunt ornamento; quamuis hoc in loco ab Aristotele declaretur, optimè tamen intelligi potest ex ijs, quæ ab ipso scribuntur in VII. libro Politicorum cap. X. vbi* τὰ εἰς εὐσχημοσύνην, *&* τὰ εἰς περιουσίαν *pro ijsdem accipit, atque vtraque hæc* τοῖς ἀναγκαίοις *opponit, quemadmodum & hic facit. Docens igitur ibi, ciuitatis distributionem per genera, ab Aegyptijs emanasse, quòd Sesostris multis antè temporibus, quàm Minos in Creta regnaret, fuisset, ita inquit:* σχεδὸν μὲν οὖν καὶ τὰ ἄλλα δεῖ νομίζειν εὑρῆσθαι πολλάκις ἐν τῷ πολλῷ χρόνῳ, μᾶλλον δ' ἀπειράκις. τὰ μὲν γὰρ ἀναγκαῖα τὴν χρείαν διδάσκειν εἰκὸς αὐτήν. τὰ δὲ εἰς εὐσχημοσύνην καὶ περιουσίαν ὑπαρχόντων ἤδη τούτων, εὔλογον λαμβάνειν τὴν αὔξησιν: *& quæ sequuntur. Locus profectò est maximè insignis, & dignus qui obseruetur. Sed animaduertendum est, an M. Tull. lib. II. de Inuent. cùm in rep. quædam esse dixisset, quæ ad corpus ciuitatis pertineant, vt agros, portus, pecuniam, classes, nautas, milites, socios, quibus rebus incolumitas ac libertas retinetur ciuitatis: verbis quæ sequuntur,* τὰ ἐν περιουσίᾳ *expresserit: inquit enim.* Alia verò, quæ iam quiddam magis amplum, & minus necessa-

rium conficiunt: vt vrbis egregia exornatio atque amplitudo, vt quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo, quibus rebus non illud solùm conficitur, vt saluæ & incolumes, verùm etiam vt amplę atque potentes sint ciuitates.

Melius enim est benè viuere, quàm viuere] εὖ ζῆν, *ex virtute, honestéque viuere hic significat: quamuis & iucundè viuere, possit significare: benè viuere enim, etiā apud Terentium in Hecyra in hoc sensu accipitur, cum inquit.* Sanè hercle homo voluptati obsequens fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multùm hæredem iuuant: sibi verò hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, benè.

Καὶ ὃ μή ἐστι παρ' ἄλλου πορίσασθαι, ἢ ὃ ἐστι καὶ παρ' ἄλλου. ὁποῖον πέπονθεν ἡ δικαιοσύνη πρὸς ἀνδρείαν.

Et quod ab alio comparare non licet, quàm quod licet: quo modo iustitia ad fortitudinem affecta est.

41 Rariora videntur magis expetenda communioribus: idcircoque quod ab alio comparare non licet, sed id vel solus quispiam possidet, vel suis viribus tā tùm potest adipisci, magis expetendum est iis, quæ ab alio obtineri queunt. Atque ita concludes, magis expetendas esse virtutes fortunę bonis, quòd illæ per nos ipsos tantùm comparentur, hęc multis aliis oblatis occasionibus, multisque auxiliis possideantur. Magis præterea expetenda est nobilitas diuitiis: quando quidem multæ sunt parandarum diuitiarum rationes & viæ, eęque multorum auxilio possunt acquiri: generis autem nobilitatem non est vt ab vllo adipiscamur. Sic etiam nos in eas facultates, in eosque libros omni cogitatione cu raque incumbimus, quos ab alio habere non licet, etiam si ii deteriores sint cōmunioribus & vulgatis, quo fit, vt in nostris vigiliis ac lucubrationibus multùm elaboremus. Hac eadem ratione ostendi potest, præstare se exercere, quàm me dicinā accipere & curari: item, pugiles corona donari, cum illi ad eiusmodi ar tem exercendam natura sunt facti, quàm cum studium adhibuerunt. ¶ Inquit au tem ipse, hoc modo affectam esse iustitiam ad fortitudinem. id verò quod dicitur, perspicuum fiet, si primùm intelligatur, quid ab vtraque hac virtute nobis accidat. Videtur igitur à fortitudine quidem id nobis accidere, vt periculis liberemur ac seruemur: à iustitia verò, vt illud, quòd ęquum est, cuiq; tribuamus. Ex his igitur,[a] liberatio quidem, quę à fortitudine proficiscitur, potest etiam aliorum auxilio nobis accidere, cùm tamen ipsi non simus fortes: at esse tales, vt illud quod æquum est, cuique tribuamus, id profectò nemini absque propria illius iustitia accidere potest: quamobrem iustitia magis erit expetenda fortitu dine. Sed potest etiam contrà dici: nam vt periculis quidem liberemur ac serue mur, nobis nostra opera contingere potest: cùm tamen id, quod æquum est, & à iustitia proficiscitur, ab aliis accipiamus. ¶ Illa autem verba, *& quod ab alio comparare non licet*, de iis [b] quoque possunt intelligi, quæ cùm quis amiserit, non potest recuperare, quòd perierit is, qui fuit illorum auctor: vt si librum amiserit, cuius non sit exemplar, aut aliquod opus, cuius perierit artifex.

[a] *Durior interpretatio, nec satis uerbis ipsis Aristotelis consentanea.*

[b] *Hanc explanationem non probo ob verbum illud Græcū πορίσασθαι: nam ἀναπορίσασθαι dixisset Aristoteles, necesse esset.*

ADNOTATIONES.

Et quod ab alio comparare non licet] *Aristoteles in III. libro de arte dicendi, cùm translationē laudare, eiusque præstantiam in exornanda oratione indicare vellet, hoc eodem modo argumentatus est: idque ei tribuit, quod ab alio ipsam accipere non possimus, sed acumine ingenij nostri, sedulitateque eam parauerimus necesse sit: perinde ac illa, quæ natura tantùm studioque nostro acquirimus, optabiliora sint ijs, quæ aliunde comparamus. Inquit igitur.* καὶ λαβεῖν οὐκ ἔστιν αὐτὴν παρ' ἄλλου. *Id quod & in lib. de arte poe*

tarum

tarum, cùm multùm in vtendis translationibus valere, maximum bonum esse dixißet, his verbis tradidit. τοῦτο γὰρ μόνον οὔτε παρ' ἄλλου ἔστι λαβεῖν, εὐφυΐας τε σημεῖόν ἐστι. *Non dißimile etiam quiddam protulit in III. libro Ethic. ad Nicom. cap. V. cum rationem quorundam exponeret, qui ostendere conabantur homines non sponte peccare, sed inuitos ac coactos: aiebantque qui à vitijs abhorrerent, & id quod verè bonum est, sumere atque optare possent, benè à natura informatos fuisse: ferens enim laudibus illud ac celebrans, inquit, id esse & maximum, & pulcherrimum omnium,* καὶ ὃ παρ' ἑτέρου μὴ οἷόν τε λαβεῖν, μηδὲ μαθεῖν.

Καὶ εἰ τόδε μὲν ἄνευ τοῦδε αἱρετόν, τόδε δὲ ἄνευ τοῦδε μή. οἷον δύναμις ἄνευ φρονήσεως οὐχ αἱρετόν· φρόνησις δὲ ἄνευ δυνάμεως αἱρετόν.

Et si hoc sine illo sit expetendum, illud autem sine hoc minimè. Potentia verbi causa, sine prudentia non est expetenda: sine potentia autem, prudentia expetenda est.

42 E duobus bonis quæ expetantur, si alterum absque altero non sit expetendum, alterum autem etiam per se & absq; altero sit expetendum, hoc erit magis expetendum. Atque hac ratione prudentia magis est expetenda potentia: nam potentia quidem sine prudentia non est expetenda, sine potētia autem prudentia expetenda est. Hoc autem quod traditur, non solùm de ea potentia siue potestate, quæ propriè δύναμις dicitur, verum est, sed etiam de aliis bonis, quæ a δυνάμεις, hoc est facultates, ipse appellare cōsueuit: nullum enim & eiusmodi bonum sine prudentia expetendum est. Hoc eodem argumento confirmare poteris, magis expetendam esse virtutem voluptate: nam voluptas absque virtute non est expetenda, virtus autem absque voluptate expetenda est. Sic etiam valetudo magis expetenda est quàm voluptas: valere enim, etiam absque voluptate expetendum est; nemo autem b optauerit ægrorum voluptates capere absque valetudine. Non aliam quoque ob causam præstat valere, quàm diuitem aut gloriosum esse; siquidem nihil horum, si valetudine careamus, expetendum est; valere autem, etiam his destituti, expetimus.

a Bona nimirum, quæ sūt instar instrumenti: vt diuitias, aliaque huiusmodi.

b οὐκ ἂν εὔχοιτο οὐδείς. *Sic ᶜmēdaui: quod postea cō firmauit cod. Me. quanquā non reijcio vulgatam scripturam, quæ habet,* οὐκ ἀνέχοιτο οὐδείς: *id est, nemo sustinuerit.*

ADNOTATIONES.

Et si hoc sine illo sit expetendum] *Hac eadem ratione probare possumus, sapientiā anteponendam esse eloquentiæ: nam studium quidem rationis et officij sine dicendi exercitatione expetendum est, cùm illud solū ciuitatibus prodesse posit: dicēdi autem exercitatio absque rationis & officij studio expetenda non est, quia sola plus mali quàm boni hominibus ac ciuitatibus afferre consueuit. qua de re hæc scribit M. Tullius libro. I. de Inuentione ad initium.* Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimùm sententiā duxit, vt existimē sapientiā sine eloquentia parùm prodesse ciuitatibus: eloquētiā verò sine sapiētia nimiùm obesse plerūq;, prodesse nūquā:] *& quæ sequuntur. In III. quoque lib. de Orat. ad Q. Fra. ob eandem causam rerum cognitionem & scientiā pluris æstimasse videtur, quàm dicendi copiam, & linguæ quandam volubilitatem. Ipsius verba sunt hæc.* Constet autem, neque infantiam eius qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscitiam illius, cui res non suppetit, verba non desint, esse laudandam. quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quàm stultitiam loquacem. *Quam sententiam & in fine lib. de perfecto orat. posuit, hoc modo.* Compositè & aptè, sine sentētiis dicere, insania est: sententiosè autē sine verborū & ordine & modo, infantia; sed eiusmodi tamen infantia, vt ea qui vtantur, non stulti homines haberi poßint, etiam plerumque prudentes: quo qui est contentus, vtatur. *Eodem etiā pacto in libro de perfecto oratore, cùm de actionis præstantiā loqueretur, & ipsam in*

Hac eadem ratione magis expetenda est valetudo quàm voluptas: nam minore reprehensione digni sunt ii, qui valetudinis iacturam dolent, quàm qui volupta te orbati, molestia afficiuntur. Sic etiam, qui necessariis rebus amissis magnũ dolorem capit, minus reprehendendus est quàm ille, qui gloria seu existimatione amissa totum se mœstitiæ tradit: ex quo efficitur, vt res necessariæ magis sint expetendæ gloria seu existimatione. Eadem quoque de causa magis expetendæ sunt diuitiæ gloria: nam is, qui se pauperem esse ægrè fert, minus reprehenditur quàm ille, qui de nominis obscuritate angitur & cruciatur. Magis præterea expetendi sunt amici pecuniis, quià minus decet reprehẽdere eos, qui amicorum è vita discessu anguntur, quàm quos pecuniarum iactura sollicitos habet. ¶ Illud autem, de cuius amissione qui non laborat, magis reprehendendus est, magis etiam expetendum est. Quãobrem scientia magis expetenda est quàm valetudo: magis enim reprehendimus eos, qui ignorationem non curant nec iniquo animo ferunt, quàm illos, qui ex morbo nullum dolorem hauriunt. Similiter magis expetenda est valetudo diuitiis, quia illi, qui valetudinem negligũt, magis à nobis reprehenduntur. Præterea, cura de republica magis quàm de priuata expetenda est: magis namque vituperamus eos, qui, quòd reipublicæ omnẽ curam abiecerint, mœrore non contrahuntur, quàm illos, qui [b] priuata re neglẽcta nihil animo conflictantur. Hanc etiam ob causam cura de parentibus magis quàm de liberis expetenda est: maiore namque vituperatione digni sunt ii, qui parentum cura abiecta nihil dolore anguntur, nihilque cruciantur. Eademque ratione magis expetendum est erudiri quàm exerceri: magis enim reprehenduntur ii qui eruditionem negligunt, quàm qui exercitationes corporis.

ἔτι τῶν ὑπὸ τὸ αὐτὸ εἶδος τὸ ἔχον τὴν οἰκείαν ἀρετὴν, τοῦ μὴ ἔχοντος αἱρετώτερον. ἀμφοῖν δ' ἐχόντων, τὸ μᾶλλον ἔχον.

Præterea, eorum quæ sub eadem specie sunt, illud quod propria virtute præditum sit, magis expetendum est eo, quod non sit præditum. quòd si vtrumque sit præditum, illud quod magis sit præditum.

45 Cùm propria cuiusq; rei virtus nihil aliud sit, quàm perfecta & ad sũmũ perducta illius natura; [a] omne autẽ id, quod vndiq; perfectũ atq; absolutum sit, magis sit expetendũ: iure optimo eorũ, quę sub eadẽ specie cõtinentur, illud quod propria virtute prędituũ sit, magis expetẽdũ est eo, quod nõ sit prędituũ, lõgèq; illi præstat. Homo quidẽ certè hominis virtute præditus, homini pręstat, qui hominis virtute nõ sit pręditus: omnes autẽ homines sub eadem specie cõtinentur. Similiter & equus equo, & canis cani præstat. quinimmò & vase uas est præstantius magisque expetendum, quod proprium vsum præbeat, ad quem factũ est: hęc enim est vasis virtus. Ope autem huius loci probare poteris, poculum ad bibendum magis idoneum anteponendum esse aureo atque argenteo, quippe cùm hæc poculi virtus sit, non pretium: & domum ad temporis iniurias defendendas aptiorem, pluris esse æstimandam ea, quę lapidibus quidem extructa sit, nõ hunc tamen vsum similiter præbeat. Eadem ratio vestis est, quæ si calsaciat, non si purpurea sit, vtilis est: atque etiam gladii; neque enim præstantior aut magis expetẽdus est ille, qui sit [b] fulgentior, sed qui maximè accommodatus sit ad pungendum vel incidendum. ¶ Subtiliter autem & accuratè illud addidit, *eorũ quæ sub eadem specie sunt*: ita enim verus est hic locus, cùm alioqui falsum sit dicere, eorum quæ sub eodem genere sunt, illud quod propria virtute præditũ sit, præstat ei, quod non sit præditum. Neque enim lepus leporis virtute prædi-

[b] Vt de Sophocle narrat M. Tullius in Catone maiore.

[a] πᾶν δὲ τέλειον ἁπλῶς αἱρετώτερον. Sic videtur esse legendum, ordine verborum conuerso. cod. autem Med. ab excusis non dissentit.

[b] ἐλεφαντινώτερον. Sic enim et M. T. Tuscul. V. de Dionysio tyranno loquens: In hoc medio apparatu fulgẽtem gladiũ è lacunari seta equina appensum demitti iussit.

Ἔτι εἰ τὸ μὲν ποιεῖ ἀγαθὸν ἐκεῖνο ᾧ ἂν παρῇ, τὸ δὲ μὴ ποιεῖ, τὸ ποιοῦν αἱρετώτερον· καθάπερ καὶ θερμότερον τὸ θερμαῖνον, τοῦ μή. εἰ δ᾽ ἄμφω ποιεῖ, τὸ μᾶλλον ποιοῦν. ἢ εἰ τὸ βέλτιον καὶ κυριώτερον ποιεῖ ἀγαθόν· οἷον εἰ τὸ μὲν τὴν ψυχήν, τὸ δὲ τὸ σῶμα.

Item, si alterum id, cui adest, bonum efficiat, alterum non efficiat: illud quod efficit, est optabilius, quemadmodum etiam calidius id, quod calfacit, quàm quod non calfacit. Quòd si am bo efficiant, illud quod magis efficit. Aut si id bonum efficiat, quod sit melius ac magis præcipuum: vt si alterum bonum efficiat animum, alterum corpus.

46 Quia bona multis modis dicuntur, & alia quidem sua præsentia bonos eos efficiunt, qui illa possident, ceu virtutes; alia verò non efficiunt, vt diuitię, nobilitas, voluptas: ea bona, quæ cum adsunt, bonos efficiunt, magis sunt expetenda. Atque hac ratione quælibet virtus magis expetenda est qualibet voluptate, & quæcumque bona fortuna, omninòque iis bonis, quæ sunt externa, & ad corpus pertinent. Huiusmodi autem bona, esse magis bona magisque expetenda, eò confirmat, quòd & id quod calfacit & calida corpora reddit, magis sit calidum, quàm quod non calfacit: ignis enim est calidior niue, quę & ipsa caliditatem habet, quia ille calfacit, hæc non calfacit: aut ille magis calfacit, hæc minus. ¶ Quòd si vtraque quę inter se comparantur, sua præsentia bonos efficiát, illud, quod magis bonum efficit, magis etiam est expetendum. Atque ita doceri potest, magis expetendam esse virtutem perfectam naturali: ambæ enim bonos eos efficiunt, qui ipsis sunt prædìti, sed magis virtus perfecta. ¶ Pręterea, illud, quod præstantius [a] subiectum bonum efficit, magis expetendum est eo, quod deterius subiectum. Atque hoc modo virtus magis expetenda est valetudine & robore, quòd illa bonum efficiat animum, hæc corpus: præstat autem animus corpori. Eadem quoque de causa magis expetenda est sapientia temperantia: illa enim bonam efficit [b] rationem & intelligentiam, hęc partem animi ad concupiscendum impellentem, quæ cum intelligentia non est conferenda.

Ἔτι ἀπὸ τῶν πτώσεων, καὶ τῶν χρήσεων, καὶ τῶν πράξεων, καὶ τῶν ἔργων. καὶ ταῦτα δὲ ἀπ᾽ ἐκείνων ἀκολουθεῖ γὰρ ἀλλήλοις. οἷον εἰ τὸ δικαίως αἱρετώτερον τοῦ ἀνδρείως, καὶ ἡ δικαιοσύνη τῆς ἀνδρείας αἱρετώτερον. καὶ εἰ ἡ δικαιοσύνη τῆς ἀνδρείας αἱρετώτερον, καὶ τὸ δικαίως τοῦ ἀνδρείως. παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Præterea, à casibus, vsibus, actionibus, & operibus: & hæc ab illis: sese enim mutuò consequuntur. Si exempli gratia, iustè se gerere magis expetendum est, quàm fortiter, & iustitia magis expetenda erit fortitudine: ac si iustitia magis expetenda sit fortitudine, & iustè se gerere magis expetendum erit, quàm fortiter. Similis autem ratio in aliis valet.

47 Vt in superiore libro id, quod simpliciter expetendum demõstrari potest, à casibus & coniugatis demonstrauit: ita nunc id, quod sit magis expetendum, ab iisdem casibus, & huius generis aliis ostẽdit: sunt enim hi loci cõmunes, quẽadmodum & [a] illi superiores, qui à generatione & interitu sumebantur. Eorũ igitur, quæ κατὰ πτῶσιν, idest in aduerbii morem proferuntur, si alterum altero magis sit expetendum: & id quod simpliciter dicitur, eo quod simpliciter dicitur, quorum sunt casus seu aduerbia, magis erit expetendum. Sunt autem casus, vtputa iustè, fortiter, & quęcumque hanc vocis formationem habent: quorum

[a] *Necessitate coacti hoc nomen à recentioribus dialecticis et philosophis mutuati sumus.*

[b] *Sic & Arist. in extremo I. lib. Ethi. ad Ni. vbi inquit:* λέγομεν γὰρ αὐτῶν τὰς μὲν διανοητικὰς: τὰς δὲ ἠθικάς. σοφίαν μὲν, *&cet.*

[a] 28, & 29.

autē sūt hi casus, vtputa iustitia, fortitudo. Quare si iustè se gererē magis expetēdū est, quàm fortiter, & iustitia magis expetēda erit fortitudine. Vicissimq; ratio retrò cōmeat: nā si iustitia magis expetēda sit fortitudine, & id quod à iustitia in aduerbii morem deriuatur, magis expetendum erit eo, quod à fortitudine. [Vt autem in casibus se res habet, sic etiam in vsibus: nam si, quod iustè fit, eo quod fortiter, magis expetendum est: & vsus iustus vsu forti magis erit expetendus; hoc est, is qui iustitia vtitur, qui quidem est vir iustus, eo qui fortitudine, qui sanè est vir fortis: & actio iusta actione forti, & factum iustum facto forti. Est enim aliqua actio munerisque functio iusta, & b factum aliquod iustum: similiter & actio fortis, & factum forte. Omnia autem hæc inter se reciprocantur: quicquid enim ex iis magis expetendum esse altero intelligitur, & reliqua eodem modo cum reliquis se habent. Dictum autem Aristotelis idem valet, ac si diceretur, Præterea, à coniugatis: sunt autem coniugata, iustitia, iustus, iustum, iustè. in vniuersum enim cuius vsus magis est expetendus, & is qui vtitur, eo qui vtitur, magis erit expetendus; & habitus habitu, & opus opere: vicissimque ratio retrò commeat. ¶ Sed potest etiam alius esse locus, qui sumitur ab vsibus, alius qui ab actionibus, alius item qui ab operibus. Vsus quidem propriè de illis dicitur, quę sunt vtilia: vsus enim est alicuius rei vsus, & circa id, quod est vtile, actio aliqua administratur, eiusque est aliqua actio. illa autem bona propriè dicuntur vtilia, quæ sunt instar instrumenti. Quorum igitur vsus magis sunt expetendi, illa etiam magis sunt expetenda: vt si diuitiarum vsus magis sit expetendus roboris vsu, & diuitiæ magis expetendę erunt robore ac corporis viribus. Vicissimque, si diuitiæ magis expetendę sint robore, & diuitiarum vsus magis expetendus erit roboris vsu. [Alius rursus est locus ab actionibus. Est autem actio, communiter quidem omnis muneris functio, quæ à ratione proficiscitur: c propriè verò ac præcipuè ea muneris functio, quæ ab electione seu consilio nascitur, hoc est à virtute, vel vitio. Quorum igitur actiones magis sunt expetendæ, illa etiam magis sunt expetenda: vt si iusta agere magis expetendum sit quàm fortia, & iustitia magis expetenda erit fortitudine. Vicissimque, si iustitia magis expetenda sit fortitudine, & iusta agere magis expetendum erit quàm fortia. [Eadem autem ratio est illius loci, qui sumitur ab operibus: nam cuius opus magis est expetendum, & illud magis expetendum: vt si opus artis ædificandarum domuum, magis expetendum sit quàm opus artis lignarię, & d illa hac magis expetenda. Vicissimque ratio retrorsum agitur. Præterea, quia amici opera magis expetenda sunt quàm beneuoli, & amicitia magis quàm beneuolentia expetenda est. Sunt autem amici quidem opera, parare commoda amicis cum animi voluntate; e beneuoli verò, velle tantùm. Cōtràque, quia amicitia magis quàm beneuolentia expetenda est, & amicitię opera magis quàm beneuolentiæ expetenda sunt. Item, amicis benefacere, magis quàm inimicis malefacere optandum est: ac illud quidem viri liberalis opus est, hoc autem fortis: quare & liberalitas magis fortitudine optanda erit. quæ ratio retrorsum etiam agitur. f Item, si medicus magis expetendus est quàm ędificator, & medici opus magis quàm ædificatoris expetendum erit. ¶ Est autem actio quidem ea muneris functio, quæ ad finem contendit: opus verò, finis ipse.

b *Vocabulum ἔργον apud Graecos commune est & his quae restant, ac cōspici possunt (ac in his quidem propriè dicitur) & his quae praetereunt, solaque intelligentia comprehendūtur: cuiusmodi sūt facta, quae ab aliqua virtute proueniunt. nam & haec Arist. ἔργα appellat, vt cū in I. lib. Ethi. ad Nico. inquit. τὰ ἐγκώμια εἰσὶ τῶν ἔργων: & I. lib. Rheto. τὰ ἔργα σημεῖα εἶναι τῆς ἕξεως. & apertius ī I. lib. de Ani. καὶ πότερον τὰ μόρια δεῖ ζητεῖν πρῶτον, ἢ τὰ ἔργα αὐτῶν. οἷον τὸ νοεῖν, ἢ τὸν νοῦν. καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι, ἢ τὸ αἰσθητικὸν, & caet.*

c *πράττειν ad ea pertinet, quae fiunt μετὰ προαιρέσεως, vt VI. lib. Ethi. testatur Arist. cū ait πράξεως μὲν οὖν ἀρχὴ προαίρεσις, ὅθεν ἡ κίνησις, & caet.*

d *καὶ ἡ οἰκοδομικὴ τῆς τεκτονικῆς. haec verba, quae manifestò deficiebāt in Grae. cod. tùm impresso, tùm manuscripto, nos ex coniectura reposuimus.*

e *Sic & Arist. IX. lib. Ethi. ad Nico. οἱ δ' εὔνοι οὐδὲν μᾶλλον φιλοῦσι. βούλονται γὰρ μόνον τ' ἀγαθὰ, οἷς εἰσιν εὔνοι.*

f *In Graec. cod. etiā manuscripto, ut patet, deest membrum huius ἀντιστροφῆς: quod de meo addere non sum ausus.*

ADNOTATIONES.

Praeterea, à casibus, vsibus] *Paulò breuius hic idē locus expositus est ī I. li. Rhetoricorū, ubi ait:* καὶ ὡς αἱ ἐκ τῶν συστοίχων, καὶ τῶν ὁμοίων πτώσεων, καὶ τἆλλα ἀκολουθεῖ. οἷον εἰ τὸ ἀνδρείως

ἀνδρείως κάλλιον καὶ αἱρετώτερον τοῦ σωφρόνως, καὶ ἀνδρεία σωφροσύνης αἱρετωτέρα, καὶ τὸ ἀνδρεῖον εἶναι τοῦ σωφρονεῖν. *idest, [Vt autẽ in cõiugatis se res habet, et in similibus casibus, ita etiam reliqua omnia consequũtur: ceu si fortiter se gerere honestius est ac magis expetendum, quàm temperanter, & fortitudo temperantia magis expetenda erit, & fortem esse quàm temperantem præstabit.] Prætereundum autem non videtur, M. Tullium in Topicis coniugata ab aduerbijs, quæ Arist. πτώσεις, hoc est casus appellat, non distinguere: inquit enim.* Cõiugata dicũtur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem: eiusdẽ autẽ generis verba sunt, quæ orta ab vno variè cõmutantur: vt sapiens, sapienter, sapientia. hæc verborum coniugatio συζυγία dicitur: *& cæt. Et sanè casus etiam hi, qui ab Aristotele πτώσεις, à grammaticis ἐπιῤῥήματα nuncupãtur, possunt rectè in coniugatis vel de illius sententia numerari, cuius hæc verba sunt è II. libro huius operis.* σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν πάντα, οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως. δοκεῖ δὲ καὶ τὰ κατὰ τὰς πτώσεις σύστοιχα εἶναι, οἷον τὸ μὲν δικαίως, τῇ δικαιοσύνῃ, τὸ δὲ ἀνδρείως, τῇ ἀνδρείᾳ. *Huic quoque sententiæ videtur fauere Alexander, qui in hoc suo commentario ita inquit.* Dictum autem Aristotelis idẽ valet ac si diceretur, Præterea, à coniugatis: cõiugata verò sunt, iustitia, iustus, iustum, iustè. *Peculiari tamen ac proprio nomine aduerbia πτώσεις appellantur, vt ipsemet in eodem II. libro testatur:* σύστοιχα μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα εἴωθε λέγεσθαι: πτώσεις δὲ, οἷον τὸ δικαίως, καὶ ὑγιεινῶς, καὶ εἴ τι κλινικῶς, καὶ ὅσα τοῦτον τὸν τρόπον λέγεται. *Antiqui igitur πτώσεις nominum appellabant non tantùm quinque hos, qui nunc à grammaticis vocantur casus, sed etiam inclinationes has, qualescunque formationes habuerint: vnde ea quæ nunc ἐπιῤῥήματα nuncupantur, illi πτώσεις vocabant, ducta translatione à vero rerum solidarum lapsu. qui propriè πτῶσις dicitur: cadunt enim & hæc aduerbia, cum in ipsa terminatione à primis nominibus variantur. Sed de hac re accuratè legas, quæ copiosius scripsit eruditißimus Victorius in suis commentarijs.*

Præterea, ab vsibus, actionibus, & operibus] Libenter assentior Alexandro, qui putat alium quidem esse locum sumptum ab vsibus, alium autem ab actionibus, alium itẽ ab operibus: nam & in primo libro de arte dicendi eum, qui sumitur ab operibus, retrorsumque etiam agitur, exponit Aristoteles, cum inquit: καὶ ὧν τὰ ἔργα καλλίω, ἢ αἰσχίω, μείζω αὐτά. καὶ ὧν αἱ κακίαι, καὶ αἱ ἀρεταὶ μείζους, καὶ τὰ ἔργα μείζω. ἐπείπερ, ὡς τὰ αἴτια καὶ αἱ ἀρχαὶ, καὶ τὰ ἀποβαίνοντα: καὶ ὡς τὰ ἀποβαίνοντα, καὶ τὰ αἴτια καὶ αἱ ἀρχαί. *idest, [Et quorum opera honestiora, aut turpiora sunt, ipsa quoque maiora sunt: & quorum vitia virtutesque maiora sunt, & opera eorum maiora. Siquidem, vt se habent causæ ac principia, ita etiam euenta: & vt euenta, ita etiam causæ ac principia.] Quia, exempli gratia, honestiora splendidioraque sunt fortitudinis opera, quàm temperantiæ (fortis enim patriam obsessam ab hostibus & oppugnatam, sua virtute obsidionis periculis liberat: temperans prætermittit turpes corporis voluptates) & fortitudo ipsa melior temperãtia. nec non, quia fœdiora luxuriæ opera sunt, quàm timiditatis, luxuria peior timiditate. Virtutes autem uitiaque, causas & principia appellat Aristot. quia illa sunt origines factorum, quæ bona & mala inde proueniunt. Hæc omnia à doctißimo Victorio mutuati sumus.*

ἔτι εἴ τινος τοῦ αὐτοῦ τὸ μὲν μεῖζον ἀγαθόν ἐστι, τὸ δὲ ἔλαττον, αἱρετώτερον τὸ μεῖζον. ἢ εἰ μείζονος μεῖζον ἂν θάτερον.

Præterea, si quo bono vnum maius bonum sit, alterum minus, maius magis expetendum est: vel si maiore aliquo maius sit alterum.

48 Quemadmodum quod maiore aliqua magnitudine maius est, etiam minore est longè maius (si enim tricubitum maius est bicubito, etiam cubito maius fore perspicuum est) sic si quo bono maius bonum sit magisque expetendum, maius quoque bonum magisque expetendum illud erit, quàm id, quod eo ipso bono sit minus bonum, minusque expetendum. Atque hac ratione concludere possumus, magis expetendam esse virtutem voluptate, quòd videlicet illa magis expetenda sit valetudine, quæ valetudo est magis expetenda quàm voluptas. Sic etiam magis expetenda est vita doctrinę studiis & sapientiæ dedita, quàm quæ voluptatibus seruit: illa enim magis expetenda est quàm quæ in actione versatur, hæc autem magis quàm quæ voluptatibus seruit.

ADNOTATIONES.

Præterea, si quo bono] Verba illa, quæ in omnibus, quos quidem viderim, codicibus habentur, ἢ εἰ μείζονος μεῖζον ἂν βάτερον, cùm ab Alexandro explanata non fuerint, idemque sibi velle videantur ac superiora, si diligenter consideremus: fortasse ab imperitis librarijs in contextum orationis Aristotelis fuerunt trãslata, cùm ea reperissent in margine ab aliquo studioso lectore pro declaratione adnotata, aut cùm diuersis in exẽplaribus nunc hoc, nunc illo modo legeretur. Eiusdem certè sententiæ repetitio Aristotelis breuitati non videtur conuenire.

Ἀλλὰ καὶ εἰ δύο τινὰ τινὸς εἴη αἱρετώτερα, τὸ μᾶλλον αἱρετώτερον, [τοῦ ἧττον αἱρετωτέρου αἱρετώτερον.]

Hæc verba inclusa non habentur in cod. Abb. Floren.

Quin etiam si duo quædam vno & eodem sint optabiliora, illud quod longè est optabilius, eo quod minus, optabilius est.

49 Eorum, quæ aliquid superant, illud quod magis superat, maius est. Quia verbi gratia, virtus & valetudo separatim diuitiis præstant, pluribus autem partibus præstat virtus, quàm valetudo: virtus valetudini pręstabit. Sic etiam scientia optabilior est sana rectaque opinione: ambo enim hęc sunt optabiliora sensu, sed longè est optabilius scire, quàm rectè opinari.

ADNOTATIONES.

Quin etiam si duo quædam] Paulò communioribus verbis hic idem locus exponitur in I. lib. Rhetoricorum. καὶ τὰ ὑπερέχοντα τοῦ αὐτοῦ μείζονι, μείζω: ἀνάγκη γὰρ ὑπερέχειν καὶ τοῦ μείζονος. id est, [& quæ pluribus partibus idem superant, maiora sunt: nam & id, quod est maius, superent necesse est.] quæ verba planiora sunt, quàm vt vllam interpretationem, aut exemplorum adpositionem requirant.

Ἔτι οὗ ἡ ὑπερβολὴ τῆς ὑπερβολῆς αἱρετωτέρα, καὶ αὐτὸ αἱρετώτερον: οἷον φιλία χρημάτων· αἱρετωτέρα γὰρ ἡ τῆς φιλίας ὑπερβολὴ τῆς τῶν χρημάτων.

Præterea, cuius rei præstantia alterius rei præstantia est optabilior, & illa optabilior: vt amicitia pecuniis: optabilior enim est amicitiæ præstantia, quàm pecuniarum.

50 Cuius rei (inquit) ἡ ὑπεροχὴ, id est ad summum perducta natura, & præstantia est optabilior, & illa optabilior. Quia exempli causa, amicitia omnibus suis numeris absoluta optabilior est diuitiis eodem modo se habentibus, & amicitia simpliciter diuitiis optabilior. Pręterea, quia valetudo omni ex parte perfecta optabilior est perfecta & ad summũ perducta voluptate, & valetudo simpliciter optabilior voluptate. Est autem valetudinis quidem præstantia & summũ, bona vel eximia potius corporis habitudo; voluptatis verò, nullã partem ægritudinis admixtam habere.

H ADNOTATIONES.

Præterea

Præterea, cuius rei præstantia] *In primo quoque libro Rhetoricorum, non valde dissimilibus verbis, hic idem locus traditur, vbi inquit:* καὶ ὧν ἡ ὑπεροχὴ αἱρετωτέρα, ἢ καλλίων. οἷον τὸ ἀκριβῶς ὁρᾶν, αἱρετώτερον τοῦ ὀσφραίνεσθαι. καὶ τὸ ὄψις ὀσφρήσεως· καὶ τὸ φιλεταῖρον εἶναι τοῦ φιλοχρήματον μᾶλλον κάλλιον· ὥστε καὶ φιλεταιρία, φιλοχρηματίας. *idest* [*Et quorum excellentia magis expetenda aut honestior: vt exquisitè videre, magis expetendum, quàm eodem modo olfacere: quare aspectus olfactu. & studiosum potius esse appetentemque sodalium quàm pecuniarum, honestius: quare & studium acquirendorum sodalium, quàm pecuniarum.*] *Quod igitur hic* ὑπερβολὴν, *illic* ὑπεροχὴν *vocauit: Alexander autē* ἀκρότητα *idem appellare voluit. M. Tullius fortasse lib. II. de Inuent.* ὑπερβολὴν τῆς φιλίας καὶ τῶν χρημάτων, *sic latinè reddidit:* vt excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo. *quamquam his postremis verbis* πολυφιλίαν *propriè expressit.*

Καὶ οὗ μᾶλλον ἂν ἕλοιτο αὐτὸς ἑαυτῷ αἴτιος εἶναι, ἢ οὗ ἕτερος: οἷον τοὺς φίλους τῶν χρημάτων.

Et illud, cuius ipse sibi aliquis causa esse malit, magis expetendum est quàm id, cuius alterum: vt amici, magis quàm pecuniæ.

51 Illud, quod per se quispiam magis expetit consequi, anteponendum est ei, quod per alios malit adipisci. Amicos exempli gratia, per nos ipsos acquirere magis expetimus, quàm per alios; pecunias autē ab aliis accipere, quàm [a] nostra opera parare malumus: quare amici anteponendi sunt pecuniis. Sic etiam concludi potest, magis expetendas esse honestas actiones victoria: nam honestarum quidem actionum ipsi sibi homines causa origoque esse volunt, vincere autem etiam per alios expetunt. Præterea, hac eadem ratione vita doctrinæ studiis & sapientiæ dedita, magis expetenda est vita ciuili: doctrinam namque & sapientiam in nobis esse expetimus, actionesque ab illis proficiscentes per nos ipsos præstare volumus; rempublicam autem capessere, & quæ ad remp. pertinent, rectè alios administrare cupimus, quòd hac ratione plus nobis otii detur ad rerum cognitionem & scientiam persequendam. Item, si patriam per nos ipsos in libertatem vindicare, diuitem autem reddere per alios cupimus, libera patria magis expetenda erit quàm diues. ¶ Non est autem hic locus idem cum illo [b] qui paulò antè expositus est, cum docebatur, id quod ab alio comparare non licet, magis expetēdum esse eo, quod licet: illic enim accipiebatur id, quod non ab alio, sed nostra tantùm opera comparare licet; hic verò id, cuius ipse sibi aliq uis causa esse malit: nam ex iis, quę aliorum auxilio acquiri possunt, non nulla per nos ipsos acquirere malumus.

[a] ἢ δι' αὐτῶν. *sic legendum est, vt patet.*

[b] 41.

ADNOTATIONES.

Et illud, cuius ipse sibi aliquis] *Hic locus, vt mea fert opinio, non discrepat ab illo, qui in primo libro de arte Rhetorica ita exponitur:* καὶ ὅσων αὐτοὶ αὑτοῖς ἢ φίλοις, βούλονται αἴτιον εἶναι μᾶλλον, ταῦτα μείζω ἀγαθά: ὅσων δὲ ἥκιστα, μείζω κακά. *idest,* [*Et quorum ipsi sibi vel amicis causa esse malunt, illa maiora bona sunt: quorum verò minimè, maiora mala.*] *Neque enim dicit hoc loco Aristoteles, ea esse maiora bona, quorum sibi ipsis homines aut amicis, quàm alienis, causa esse malint; nec contrà maiora mala, quorum minimè iisdem auctores esse velint: siquidem nemini dubium est, illa esse maiora bona, quæ sibi ipsis aut amicis homines optant vel tribuunt, quàm quæ alienis; et cōtrà illa maiora mala, quæ sibi ipsis aut amicis, quàm quæ alienis, cauent. Sed illis verbis hoc sensit, ea esse maiora bona, quorum ipsi homines, qui expetunt, aut sui aut amicorum gratia, causa esse malunt, quàm alios scilicet: idest, quæ sua opera homines magis cupiunt*

adipisci, quàm quæ aliena: & contrà illa maiora mala, quorum ipsi auctores essent nolunt. Hæc eius loci sententia est, perspicua quidem certè & plana, quæ exemplis etiam posset confirmari: sed nos illorum adpositione supersedebimus.

Ἔτι ἐκ τῆς προσθέσεως, εἰ τῷ αὐτῷ προστιθέμενόν τι, τὸ ὅλον αἱρετώτερον ποιεῖ. εὐλαβεῖσθαι δὲ δεῖ προτείνειν, ἐφ' ὧν τῷ μὲν ἑτέρῳ τῶν προστιθεμένων χρῆται τὸ κοινὸν, ἢ ἄλλως πως συνεργόν ἐστι· τῷ δὲ λοιπῷ μὴ χρῆται, μηδὲ συνεργόν ἐστι. οἷον πρίονα καὶ δρέπανον μετὰ τεκτονικῆς: αἱρετώτερον γὰρ ὁ πρίων συνδυαζόμενος, ἁπλῶς δὲ οὐχ αἱρετώτερον.

Præterea, ex adiunctione, si eidem rei aliquid adiungatur, totumque optabilius efficiat. Sed cauendum est, ne ea quæ adiunguntur, talia proponantur, vt eorum altero vtatur id, quod cõmune est, aut aliquo alio modo cum illo suum opus efficiat; altero nõ vtatur, nec cum illo suum opus efficiat: ceu serram & falcem cum arte tignaria. serra enim, si copulata sit, optabilior est: simpliciter verò, non est optabilior.

52 Vis huius loci hæc est. Si adiungatur eidem rei, nunc hoc, nunc aliud; fiat que ipsa cumulata rebus iis, quę adponuntur, nunc magis expetenda, nunc minus: illud, cuius adpositu magis expetenda redditur, & ipsum magis expetendũ est aliis, quæ eidem admota fuerant. Exempli gratia, si diuitiis adiungatur, nũc virtus, nunc verò corporis sanitas; magis autem expetendę sint diuitię coniunctę cum virtute, quàm cum corporis sanitate: & virtus magis expetenda erit corporis sanitate. Præterea, si applicetur vitæ, quam degimus, nunc iustè, nunc iucundè; & iustè viuere magis expetendum sit, quàm iucundè: & iustè, quàm iucundè, magis expetendum erit: quare & iustitia voluptate. Item, si morti quam obimus, nunc vacuitas ęgritudinis, nunc gloria adponatur; magis autem expetendum sit sine ægritudine mori, quàm gloriosè: & ęgritudinis vacuitas magis expetenda erit, quàm gloria. [Consimili autem ratione ostendere possumus, magis fugiendam esse ægritudinem, quàm gloriæ vacuitatem: magis namque fugiendum est, dolore & ęgritudine affectum mori, quàm ignotum & inglorium. Vt enim id, cuius adpositione aliquid magis expetendum redditur, magis expetendum est: sic etiam illud, cuius adpositione aliquid magis fugiendum efficitur, magis fugiendum est. ¶ Non semper autẽ hic locus verus esse videbitur: neque enim, quia liberalitas coniuncta cum diuitiis, magis expetenda est liberalitate aucta robore, dici iam potest diuitias magis expetendas robore: neque, quia vires corporis præstantes fortitudine auctæ, magis expetendæ quàm diuitię fortitudine ornatæ, hanc ob causam contrà vires corporis simpliciter magis expetendę diuitiis. Idem enim alioqui nunc minus, nunc magis expetendum eodem foret, quod absurdum est: nam in liberalitate quidem, diuitię magis expetendæ sunt robore; in fortitudine autem, robur magis expetendum diuitiis. Præterea, nec si robur magis expetendum sit cum fortitudine copulatum, quàm cum temperantia, iam & fortitudo magis expetenda temperantia. [Cur autem hic locus semper verus non sit, illud in causa est, quòd plerumque commune illud, cui fit adpositio, altero eorum quæ adposita fuerint, vtitur, aut omninò cum eo suum opus efficere potest; ª altero verò nec vtitur, neque cum eo suum opus adiuuat: quamobrem cùm illud, quod adponitur, per se non sit magis expetendum, coniunctum tamen & copulatum magis expetendum redditur. Liberalitas exempli causa diuitiis vtitur, quę tamen ad suum munus fungendum robore non vtitur: fortitudo contrà, robore vtitur,

ª Hæc verba addidimus, quæ manifestò in Græco codice, etiam manuscripto, desiderabantur.

vtitur, diuitiis non vtitur. Robur præterea fortitudinem adiuuat ad sua opera præstanda, temperantiæ autem nullum adiumentum affert. Quamobrem & ipse inquit, cauendum esse, ne ea quæ adiunguntur, talia proponantur, vt eorum altero vtatur id, quod commune est, aut aliquo alio modo cum illo suum opus efficiat; altero non vtatur, nec cum illo suum opus efficiat. Non enim, si serra coniuncta cum arte tignaria, magis expetenda est falce cum eadem arte coniuncta, ob id serra simpliciter magis expetenda sit falce necesse est: serra namque, si coniuncta sit, eò est magis expetenda, quia artis tignariæ instrumentum est, cùm falx non sit illius instrumentum. Falx contrà cum arte colendarum vitium copulata, magis expetenda est serra, quę illi arti nullum vsum præbet. In iis igitur verus est hic locus, in quibus illa quæ adiunguntur, eodem modo se habent ad id, quod commune est.

ADNOTATIONES.

Preterea, ex adiunctione] *Breuiter, ac sine vlla cautione hunc eundem locum exposuit in primo lib. Rhetoricorum, cum inquit:* καὶ δυοῖν, ὃ τῷ αὐτῷ προστιθέμενον, μεῖζον τὸ ὅλον ποιεῖ. *idest, [Et è duobus illud, quod eidem rei adpositũ, totum maius reddit.] quæ tamẽ verba eruditißimus Victorius ex hac Alexandri explanatione illustrauit.*

πάλιν εἰ ἐλάττονι προστεθὲν τι, τὸ ὅλον μεῖζον ποιεῖ.

Item, siquid minori adiunctum, totum maius efficiat.

53 Locus est eiusmodi. Illud, quod minori bono adiunctum, totum maius bonum efficit, magis expetendum est eo, quod maiori bono adplicatũ, totum minus bonum reddit, quàm sit illud alterum totum. Quare si sint duo quædam bona, & alterum quidem maius, alterum autem minus; iisque separatim aliqua adponantur, ita vt horum adpositione id, quod est minus bonum, maius euadat; & id, quod maius, minus: illud, quod minori adpositum fuerit, magis expetendum eo erit, quod maiori. Duo bona, exempli gratia, sint, bona corporis habitudo, & valetudo: valetudini, quę est minus bonum, adponatur virtus; bonę corporis habitudini, quæ est maius bonum, adiungantur diuitiæ. quia igitur valetudo coniuncta cum virtute, maius bonum est, quàm bona corporis habitudo diuitiis aucta, & virtus maius bonum magisque expetenda erit diuitiis. Præterea, loqui, & tacere, duo bona sunt: maius tamẽ bonũ magisque expetendum est loqui, cùm multò plures vsus prębeat. quare si taciturnitati adiũgatur, sapienter; locutioni verò, rhetoricè: magis autem expetendum sit sapienter tacere, quàm rhetoricè loqui: & sapientia magis expetenda erit rhetorica. Itẽ, quia bona corporis habitudo maius quidem bonum est, quàm valetudo; [a] contemplatio autem valetudini adplicata, magis expetenda est actione cum bona corporis habitudine iuncta: & contemplatio simpliciter magis expetenda erit actione.

[a] *Siue duo fuerint, à quibus abiungantur aliqua, siue vnũ, nihil refert. nã si ab eadẽ re modò hoc modò illud auferatur; fiatq; ipsa his vicißim destituta, nunc magis expetẽda, nunc minus: illud, cuius amotione minus expetenda cum altero redditur, magis expetendũ est eo, quo ab eadem re seiuncto, ipsa cum altero magis expetenda efficitur.*

ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῆς ἀφαιρέσεως. οὗ γὰρ ἀφαιρεθέντος ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ τὸ λειπόμενον ἔλαττον, ἐκεῖνο μεῖζον ἂν εἴη, ὃ ποτε ἀφαιρεθὲν τὸ λειπόμενον ἔλαττον ποιεῖ.

Similique modo ex detractione: illud enim, quo ab eadem re detracto, id quod restat, minus efficitur, maius est.

54 Simili modo (inquit) à detractione, quo ab adiunctione, argumentandum est: nam si eorum, quæ videntur æquè expetenda, & ex eadem re detrahuntur, alterum eiusmodi fuerit, vt illius detractione id quod restat, minus efficiatur, quàm alterius detractione: illud, cuius detractione minus efficitur, magis expetendum est. [Non solùm autem hoc verum est, si duo quædam adæquè expetenda accipiantur, de quibus detrahantur aliqua: sed etiam, si vnum quiddam expetendum sumatur, deinde ab eo amoueatur id, cuius beneficio erat magis ex

petendũ: illud enĩ, cuius amotione magis imminuitur minusq; expetẽdũ efficitur, magis expetẽdũ est altero, quo ab eodẽ seiũcto & ablato, ipsũ cũ altero magis expetẽdũ relinquitur. ¶ Id verò, quod dicimus, perspicuũ maximè est in magnitudinibus & numeris: nã numerus denarius, si de eo tria, vel quinq; demãtur, imminuitur: verùm quia magis imminuitur, si ab eo quinque, quàm si tria auferantur, quinque plura erunt quàm tria. Eademque ratio in magnitudinibus valet. Bonis autem quæ sunt expetenda, de quibus sermonem facit, eadem quoque accommodari potest: accipiamus enim tria hæc, valetudinem, diuitias, & pulchritudinem: modò autem valetudinem, modò diuitias à pulchritudine seiungamus. quia igitur minus expetenda res est pulchritudo valetudine destituta, & vnà cũ diuitiis relicta, quàm diuitiis carens, & valetudine abundans: idcircò valetudo magis expetenda erit diuitiis. Atque hoc quidem, si vnum accipiatur, à quo auferãtur aliqua. [Possumus autem & eodem argumẽto vti, si b duo sumantur, quæ peræquè sint expetenda, à quibus aliqua separentur. Sint igitur diuitiç cum robore coniunctæ, & valetudo cum nobilitate: deinde à diuitiis remoueatur robur, à valetudine autẽ nobilitas. itaq; cùm diuitiæ solæ minus expetẽdæ sint valetudine, robur magis expetẽdũ esse nobilitate constat: tum enĩ quod perçquè est expetendum, minus expetendum efficitur, dum aliqua ex vtroque auferuntur, cum illud quod aufertur, magis expetendum fuerit.

b Vide quid dicat Alexan. nam detractio rerũ nõ æquè expetendarum à rebus, quæ æquè sint expetẽdæ, nihil facit ad cognoscendum, vtra earũ à quibus fit detractio, magis sit expetenda. quòd si hæ non æquè sint expetẽdæ, nihil iuuat aliquid iis appingere, et illud rursus ab iisdem remouere. Rem quæso animaduertas.

Καὶ εἰ τὸ μὲν δι' αὑτό, τὸ δὲ διὰ τὴν δόξαν αἱρετόν· οἷον ὑγίεια κάλλους. ὅρος δὲ τοῦ πρὸς δόξαν, τὸ μηδενὸς συνειδότος, μὴ ἂν σπουδάσαι ὑπάρχειν.

Item, si alterum propter se, alterum verò ad opinionem expetatur: vt valetudo magis quàm pulchritudo. Descriptio autem eius, quod ad opinionem expetitur, est, quod illud nemo sibi parare curaret, si fallere omnes ac ignorari deberet.

55 Quod propter se expetimus, anteponẽdum est ei, quod ad opinionem aliorum. Sic valetudo anteponenda est pulchritudini, quia valetudinem propter se expetimus, etiam si illa omnes latere debeat; pulchritudinem autem ob gloriam, quam inde aucupamur: frustrà enim videretur esse excellens corporis forma, si ab aliis ignoraretur. Quid autẽ sit id, quod ad opinionẽ expetitur, declarauit ipse, cum dixit: *quod enim eiusmodi est, ut illud nemo sibi parare curaret, si fallere omnes ac ignorari deberet, id ad opinionem dicitur expeti.* Eodem autem hoc argumento probare possumus, honori præstare diuitias, & domum ad habitandum idoneam, illi quæ sit adornata: vestem insuper commodiorem pretiosç: & possessiones fructuosas, iis, quæ sitæ sint in locis conspicuis valdeque a celebribus.

a καὶ ἀεὶ διοδευομένοις. ita & M. T. in Partit. Loci celebres, an deserti.

ADNOTATIONES.

Item, si alterum propter se] *Hic idem locus paulò apertius & vberius ab ipso in primo lib. de arte dicendi expositus est, cum ait:* καὶ τὰ πρὸς ἀλήθειαν, τῶν πρὸς δόξαν. ὅρος δὲ τοῦ πρὸς δόξαν, ὃ λανθάνειν μέλλων, οὐκ ἂν ἕλοιτο. διὸ καὶ τὸ εὖ πάσχειν τοῦ εὖ ποιεῖν, δόξειεν ἂν αἱρετώτερον εἶναι· τὸ μὲν γὰρ κἂν λανθάνῃ, αἱρήσεται· ποιεῖν δ' εὖ λανθάνων, οὐ δοκεῖ ἂν ἑλέσθαι. *hoc est,* [*Ea etiam, quæ veritatem spectantes sumimus, iis, quæ ad opinionem, sunt magis expetenda. Descriptio autem eius, quod ad opinionem sumitur, est, quod nemo vnquam illud sibi pararet, si fallere homines ac ignorari deberet. quamobrem nonnullis accipere beneficium, quàm dare, præstatius videri posset: illud enim, etiam si nemo sciat, omnes optarent; benefacere autem, si hoc omnes fallat, non videntur homines velle.*]

Καὶ εἰ τὸ μὲν δι' αὑτὸ καὶ διὰ τὴν δόξαν αἱρετόν, τὸ δὲ διὰ θάτερον μόνον.

Et si alterum propter se & ad opinionem, alterum verò vnius tantùm gratia expetatur.

56 Illud, quod propter se & ad opinionem expetitur, magis expetendum eo esse inquit, quod ad opinionem tantùm, aut etiam propter se tantùm, si illa in eodem accipiantur. Quod enim expetitur propter ambo, magis expetendum esse inde constat, quòd & id, quod propter se tantùm, eo quod ad opinionem, sit magis expetendum. quare quod propter ambo expetetur, eo quod alterius tantùm gratia: nam quod propter duo, eo quod propter alterum ipsorum expetitur, magis est expetendum. Ita domus, quę vnà cum vsu ornatum habeat, magis expetenda est ea, quæ solo ornatu sit circumuestita, aut vsum tantùm habeat. Eademque ratio vestis est, & vasis. Præterea, equus, qui cùm equiti [a] facilè obediat celerque sit, tùm sua pulchra forma oculos nostros delectet, antepo nendus est ei, qui horum altero sit præditus. Similiter etiam omnia alia bona, quæ possidemus, si hæc ambo obtineant, magis expetenda sunt iis, quæ vnum dumtaxat. Hac eadem ratione doceri potest, magis expetendum esse præclara facinora in conspectu vulgi efficere, quàm in tenebris: item, esse & videri iustum, quàm esse tátùm. Eodéque modo de aliis, quę sunt expetéda, dicendú est: ex quo illud, *Nihil pulchri, quod ignoretur, optauerim.* ¶ Ex hoc eodé loco possunt elici argumenta ad docendum, quid magis fugiendum sit: nam quod propter se, & propter aliorum existimationem fugiendum est, magis fugiendum est eo, quod alterius tantùm gratia. quáobrem apertè iniuriam facere, magis quàm occultè fugiendum est: & intemperanter se gerere in oculis aliorum, magis quàm in latibulis.

[a] *εὐπειθὴς. sic correxi ex ingenio, cùm hoc equi virtutem esse suprà testatus sit Alex. cóm. 45. quam correctionem confirmauit postea cod. Me. εὐπαθὴς etiam non displicet: equus enim factus est ad labores.*

ADNOTATIONES.

Et si alterum propter se] *Hoc argumento doceri potest, magis expetendam esse rhetorum orationem, quàm philosophorum: illa enim non ad veritatem solùm, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, & omninò ad vulgi sensus & aures accommodanda est, vt Cicero tùm in Partitio. tùm in Orat. testatur: hæc autem ad veritatem tantùm: nam in philosophia res spectatur, non verba ponderantur, vt idem auctor affirmat in Bruto. Hæc autem locutionis forma, ad veritatem, & ad opinionem, Latinis scriptoribus non est inusitata: sic enim M. T. in Lælio inquit:* ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. *& in Parad.* Est enim mea pecunia ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica. *Et I. lib. de Nat. deo.* Nec opinione solùm, sed etiam ad veritatem planè velim mihi persuaderi. *Et M. Varro:* Quòd si nó perueniam, scientiam ad opinionem aucupabor.

Καὶ ὁπότερον μᾶλλον δι' αὑτὸ τίμιον, τοῦτο καὶ βέλτιον καὶ αἱρετώτερον. τιμιώτερον δ' ἂν εἴη καθ' ἑαυτὸ, ὃ μηδενὸς ἄλλου μέλλοντος ὑπάρξειν, δι' ἑαυτὸ αἱρούμεθα μᾶλλον.

Et quod magis propter se in [a] honore est & colitur, id etiam melius magisque expetendum. Illud autem magis per se in honore est & colitur, quod, [b] vt nihil adiungatur emolumenti, magis propter se petimus.

[a] *Hic locus videtur cótineri in xx. loco, si diligenter attendas.*
[b] *Sic enim Cicero lib. II. de Inuent.*

57 Quemadmodum quod expetitur propter se, magis expetédum est eo, quod ad opinionem; & quod propter se & ad opinionem, eo quod alterius tantùm gratia: ita etiam eorum, quę propter se expetuntur & coluntur, illud, quod magis propter se expetitur & colitur, magis expetédú est. Si cognitio exépli causa, magis propter se petitur & colitur quàm actio, quippe cú oís actio eò videatur referri, vt aliquid eméderur ac corrigatur, cognitio auté propter se expeta

tur:cognitio magis expetenda est actione. Praeterea, si prudētia magis propter se petitur & colitur quàm fortitudo, magis etiam expetenda est: illa enim vbique suo munere fungitur, fortitudo autem in periculis adeundis. Declarat autē ipse, quid sit id, quod magis propter se in honore est & colitur, hoc est, magis propter se expetitur, quemadmodum & paulò antè declarauit, quid sit illud, quod ad opinionem expetitur. quare quod eiusmodi est, vt, etiam si nihil adiungatur emolumenti, ipsum tamen magis propter se petamus, id magis per se aut propter se expetitur & colitur. Atque ita valetudo magis expetenda est diuitiis, nobilitate, corporis viribus, & pulchritudine, cùm ea his omnibus magis propter se expetatur & colatur.

Ἔτι διελέσθαι ποσαχῶς τὸ αἱρετὸν λέγεται, καὶ τίνων χάριν: οἷον τοῦ συμφέροντος, ἢ τοῦ καλοῦ, ἢ τοῦ ἡδέος. τὸ γὰρ πρὸς ἅπαντα, ἢ πρὸς τὰ πλείω χρήσιμον, αἱρετώτερον ἂν εἴη τοῦ μὴ ὁμοίως. τῶν δ' αὐτῶν ἀμφοτέροις ὑπαρχόντων, ὁποτέρῳ μᾶλλον ὑπάρχει σκεπτέον, πότερον ἥδιον ἢ κάλλιον, ἢ συμφερώτερον.

Diuidendum est insuper, quot modis dicatur id, quod expetendum appellatur, & quarum rerum gratia sit expetendum: vt vtilitatis, vel honestatis, uel voluptatis. Illud enim, quod ad omnia, vel ad plura accommodatum est, magis expetendum est eo, quod tot vsus non praebeat. Quòd si in vtrisque eadem reperiuntur, in vtro magis reperiantur, videndum est: vtrum videlicet sit iucundius, vel honestius, uel vtilius.

58 A diuisione quoq; notionum eius, quod dicitur expetendū, ducēdum esse argumentum inquit: nam si diuidamus, quot modis accipiatur id, quod dicitur expetendum ([a] neque enim vno modo accipitur) argumentorum copia nobis suppeditabitur ad confirmandum id, quod est magis expetendum. Illud ergo, quod expetendum dicitur, tribus modis accipitur: nam & honestum, & vtile, & iucundum, in rebus expetendis numerantur. Cui igitur haec omnia cōueniūt, & propter omnia haec est expetendum, illud magis expetendum est iis, quae non omnia habēt: & cui plura adsunt, iis, quibus pauciora, si [b] aequalitas in ipsis fuerit: id est, si aequè propter singula quaeq; expetātur. Potest enī alioquin id, quod propter vnū quiddā valde sit expetēdū, magis expetendū esse eo, quod propter omnia quidē, nō tamen valde expetatur. prudentia exempli gratia, quae propter se ipsam tantùm expetitur, magis expetenda est corporis viribus, quae propter omnia expetūtur: robur enī & propter se, & vt honestū quiddā, & ut vtile, & vt iucundum expetitur: prudentia tamen, quòd propter se expetatur, haec omnia vincit. Praeterea, si vnum propter se, alterum verò propter iucunditatem & vtilitatem expetatur: illud, quod propter se suaque vi expetitur, magis expetendum erit tùm eo, quod propter illa, tùm eo, quod propter plura expetitur: temperantia nanque, quae propter se ipsam tantùm expetitur, magis expetenda est honore, qui & propter iucunditatem, & propter vtilitatem optabilis est. Vel etiam dicendum est, quālibet virtutem & propter se, & propter iucūditatē expeti: nam & actiones, quae à virtute proficiscuntur, per se sunt iucundae. Itaq; etsi aliquid propter plura expetendum est, tamen, si illud non sit virtus, minus quàm ea expetendum erit, quòd & propter se, & propter iucunditatem à virtute superetur. Illud igitur, quod propter omnia, eo quod propter aliqua expetitur, magis expetendum est: & quod propter plura, eo quod propter pauciora, si illud quod propter plura, aequè propter singula quaeque expetatur, atque id

[a] ἐπεὶ μὴ μοναχῶς. sic legendum putaui: quod postea confirmauit cod. Med.

[b] Attendas cautionē.

quod

quod propter pauciora.[An etiam distinctio hæc adhibenda est, si pauciora in pluribus includātur.Quo sanè modo in [c] Ethicis demonstrauit,amicitiam,quæ honesti causa conciliatur,magis expetendam esse ea,quam voluptas, aut vtilitas constituit:illa enim,[d] præter quàm quòd honesti causa expetitur,habet etiā in se voluptatem & vtilitatem,cùm ea,quæ ab vtilitate comparatur, solam vtilitatem habeat;& quæ à voluptate,solam voluptatem.Præterea,valetudo magis expetenda est voluptate:nam & iucundū & vtile illi adiuncta sunt. ¶Quòd si ea,quæ inter se comparantur, [e] propter eadem sint expetenda:illud, cui hæc magis conueniunt, magis expetendum erit. Atque ita temperantia magis expetenda est continentia, quòd earundem quidem rerum gratia ambę expetantur, sed tamen magis temperantia. Item,magis expetendum est discere, quàm exerceri: ambo enim propter vtilitatem quidem expetuntur, sed magis tamen discere,quàm exerceri.Eodem etiam pacto demonstrabitur,magis expetendam esse iustitiam fortitudine: vtraq; enim cùm honesti,tùm iucundi causa expetitur: fortitudo tamen ob vulnera & clades,non æqualem iucunditatem adiunctam habet.

[c] *VIII.lib.cap.III.*

[d] *Sic inquit Aristot.* καὶ ἔστιν ἑκάτερος ἁπλῶς ἀγαθὸς, καὶ φίλῳ. οἱ γὰρ ἀγαθοὶ, καὶ ἁπλῶς ἀγαθοὶ, καὶ ἀλλήλοις ὠφέλιμοι. ὁμοίως δὲ καὶ ἡδεῖς εἰσιν.

[e] διὰ τὰ αὐτά. *Sic legendum est,nō* διὰ ταῦτα, *vt et cod.M.habet.*

ADNOTATIONES.

Illud enim,quod ad omnia,vel ad plura] Verba,quibus hic idem locus (ni fallor) in primo lib. Rhetoricorum describitur,ita habent: καὶ τὸ πρὸς πολλὰ χρησιμώτερον. οἷον τὸ πρὸς τὸ ζῆν καὶ εὖ ζῆν, καὶ ἡδονὴν, καὶ πράττειν τὰ καλά. διὸ καὶ ὁ πλοῦτος, καὶ ἡ ὑγίεια μέγιστα δοκεῖ εἶναι· ἅπαντα γὰρ ἔχει ταῦτα. *hoc est,[Et quod magis ad multas res accōmodatum est: vt quod ad vitam,& ad bonam vitam,& ad voluptatem conficiendam,& ad honestas res gerendas valet.quamobrem diuitiæ & valetudo,maxima bona vulgò existimātur:hæc.n.omnia ī se habent.] Illis igitur verbis,*οἷον τὸ πρὸς τὸ ζῆν καὶ εὖ ζῆν *vtilitatē descripsit:cum dixit autē,*καὶ ἡδονὴν, καὶ πράττειν τὰ καλά, *iucundum & honestum intellexit. ¶Sed ego illud adscribere non grauabor, M. Tullium in orat. pro L. Muræna hoc argumento ductum longo sermone demonstrasse,plus ad Consulatum adipiscendum rei militaris scientiam,uel etiam dicendi studium,quàm iuris ciuilis cognitionem valere.A maiore igitur dignitate, & vtilitate (nam voluptatem prætermittit, quòd paulò suprà dixit Sulpitium iurisconsultum multorum stultitiam perpessum esse, arrogantiam pertulisse,difficultatem exorbuisse,& omnino ad aliorum vixisse arbitriū, non ad suum) argumentum sumens,ita inquit.* Omnes enim artes,quæ nobis populi R.studia conciliant,& admirabilem dignitatem ,& pergratam vtilitatem debent habere. Summa dignitas est in iis,qui militari laude antecellunt; omnia.n. quæ sunt ī imperio & ī statu ciuitatis,ab iis defendi & firmari putantur: summa etiam vtilitas; siquidem eorum consilio & periculo cùm Rep.tùm etiam nostris rebus perfrui possumus.Grauis etiam illa est,& plena dignitatis dicendi facultas,quę sæpe valuit in Consule deligendo,posse consilio atque oratione & senatus & populi,& eorum,qui res iudicant,mentes permouere. Quæritur Consul,qui dicendo nonnunquam comprimat tribunitios furores, qui concitatum populum flectat,qui largitioni resistat.non mirum,si ob hanc facultatem homines sæpe etiam non nobiles Consulatum consecuti sunt: præsertim cùm hæc eadem res plurimas gratias ,firmissimas amicitias,maxima studia pariat. Quorum in isto vestro artificio Sulpiti nihil est.primùm,dignitas in tàm tenui scientia quæ potest esse? res enim sunt paruæ, propè in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatæ:*& quæ sequuntur.piget enim plura adscribere, quia nimis verbosè de hac re Cicero disserit,et in ea explicāda sibi magis quàm oportet, indulget.In libro etiam de perfecto orat.cùm eloquentiam & iuris scientiam inter se cō.*

pararet, ex hoc eodem loco eruens argumentum ita ait. Nam quis vnquam dubitauit, quin in Rep. nostra primas eloquentia tenuerit semper vrbanis, pacatisque rebus, secundas iuris scientia? cùm in altera gratiæ, gloriæ, præsidii plurimum esset; in altera persecutionum, cautionumque præceptio: quę quidem ipsa auxiliũ ab eloquentia sæpe peteret: ea verò repugnante, vix suas regiones finesque defenderet. *Idem præterea lib. I. Offi. huius eiusdem loci auxilio probat, res vrbanas maiores esse, quàm bellicas. Cùm igitur multis exemplis positis ostendisset, eos, qui rogati Reip. præsunt, maiorem interdum vtilitatem ciuitatibus attulisse, quàm qui bella gerũt: maiorem etiam dignitatem & honestatem in illis iisdem esse, docere volens, hæc scribit.* Omnino enim illud honestũ, quod ex animo excelso magnificoque quęrimus, animi efficitur, non corporis viribus. exercendum tamen est corpus, & ita afficiendum, vt obedire consilio rationique possit in exequendis negotiis, & ĩ labore tolerando. honestum autem id, quod exquirimus, totum est positũ in animi cura & cogitatione: *& quæ sequuntur. Idem in libro, qui dicitur Brutus, idcircò oratorem belli ducibus anteposuit, quòd ille populo R. maiorem dignitatem pepererit, quãuis nõ tantum ciuitati, quãtũ imperator, profuerit: inquit igitur.* Plus enim certè attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustrauit modo, sed etiam genuit in hac vrbe dicendi copiam, quàm illi, qui Ligurum castella expugnauerũt: ex quibus multi sunt, vt scitis, triumphi. Verum quidem si audire volumus, omissis illis diuinis consiliis, quibus sępe constituta est imperatorum sapientia salus ciuitatis, aut belli, aut domi: multò magis orator pręstat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator: quis negat? sed tamen non metuo, ne mihi acclametis. est autem, quod sentias, dicendi liber locus. Malim mihi L. Crassi vnam pro M. Curio dictionẽ, quàm castellanos triumphos duos. At plus interfuit Reip. castellum capi Ligurum, quàm benè defendi causam M. Curii: credo. sed Atheniensium quoque plus interfuit, firma tecta in domiciliis habere, quàm Mineruæ signum ex ebore pulcherrimum. tamen ego me Phidiam esse mallem, quàm vel optimum fabrum tignarium. Quare non quãtum quisq; prosit, sed quãti quisque sit, põderandũ est: pręsertim cùm pauci pingere egregiè possint, aut fingere; operarii autem, aut baiuli deesse nõ possint. *Quòd si in vtrisque eadem reperiuntur] Exempla ad docendum, id esse magis expetendum, quod sit honestius, plura sumi possunt à M. Tullio lib. I. Offici. propè finem: vbi ipse, ad disputationem de eiusmodi comparatione aggrediens, sic inquit.* Eorum autem ipsorum, quæ honesta sunt, potest incidere sæpe contentio & comparatio, de duobus honestis vtrum honestius: qui locus à Panætio est prętermissus. nã cùm omnis honestas manet à partibus quattuor, quarum vna sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæ in deligendo officio sæpe inter se comparentur necesse est. Placet igitur, aptiora esse naturę ea officia, quæ ex communitate, quàm ea, quę ex cognitione ducantur: *& quæ sequuntur. totus sanè liber diligenter est euoluendus.*

Πάλιν τὸ τοῦ βελτίονος ἕνεκεν, αἱρετώτερον. οἷον τὸ ἀρετῆς ἕνεκεν, ἢ ἡδονῆς.

Illud item, quod melioris rei gratia fit, magis expetendum est: vt quod virtutis, quàm quod voluptatis gratia.

59 Illud pręterea, quòd melioris rei gratia comparatur, magis expetendũ esse ait. quare discere, magis expetendum est, quàm exerceri: illud enim ad scientiã, hoc ad vires corporis refertur. Præterea, mores commodi anteponendi sunt corporis exercitationi, cùm illi ob sapientiæ studium comparentur, hæc propter pręmii in concertationibus adeptionem exquiratur. Item, magis expetendum

dum

dum est litterarum studia colere, quàm [a] festos dies ludorū celebrare: illud nāq; virtutis ergô fit, hoc voluptatis. ¶ Hic autem locus facultate & vi in [b] superioribus expositus est: nam quorum fines magis sunt expetēdi, illa etiam magis sunt expetenda.

[a] πανηγυρίζειν. Sic enī locutus est Cicero ī ora. pro Arch.

[b] Loco 18.

ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν φευκτῶν. φευκτότερον γὰρ τὸ μᾶλλον ἐμποδιστικὸν τῶν αἱρετῶν· οἷον νόσος αἴσχους. καὶ γὰρ ἡδονῆς καὶ τοῦ σπουδαῖον εἶναι, κωλυτικώτερον ἡ νόσος.

Similis autem ratio est eorum, quæ sunt fugienda. nam quod res expetendas magis impedit, magis fugiendum est, vt morbus magis quàm deformitas: magis enim prohibet morbus, quominus voluptates capiamus, atque [g] virtutes adipiscamur.

[g] σπουδαῖον εἶναι. Sic verti, quia σπουδαῖος accipitur loco παρωνύμου ἐκ τῆς ἀρετῆς, teste Ammonio εἰς κατηγορίας.

60 Similis ratio (inquit) est eorum, quæ sunt fugienda: nam & in iis illud, quod pluribus bonis impedimento sit, aut maiora bona de medio tollat, magis fugiēdum est. Atque ita morbus magis fugiendus est deformitate, quòd pluribus bonis impedimentum infert: nam & à voluptate, & à virtute homines morbus detorquet, cùm deformitas à voluptate tantùm. Eadem quoque de causa magis fugienda est paupertas, quàm ignominia. [a] Tarditas autem ingenii magis fugienda est stupore corporis & debilitate, quòd præstātiorem rem corrumpit: item, disciplinarum iactura, magis quàm pecuniarum, ob eandem causam. [b]

[a] ἀφυΐα τῆς ψυχῆς.

[b] ἔτι δ' αὖ τὸ δὲ τὴν δόξαν, & cet. hæc verba q̄ sequebātur, reiecimus tā quam ociosa, & ea, ex quibus nullus sensus elici posset.

ἔτι ἐκ τοῦ ὁμοίως δεικνύναι φευκτὸν καὶ αἱρετὸν τὸ προκείμενον. ἧττον γὰρ τὸ τοιοῦτον αἱρετόν, ὃ καὶ ἕλοιτ' ἄν τις ὁμοίως καὶ φύγοι, τοῦ ἑτέρου ὄντος αἱρετοῦ μόνον. τὰς μὲν οὖν πρὸς ἄλληλα συγκρίσεις, καθάπερ εἴρηται, ποιητέον.

Ex eo etiam argumenta sumuntur, si rem propositam æquè fugiendam, ac expetendam esse ostendamus: nam quæ eiusmodi est, vt eàm similiter vitaret quis, ac expeteret, minus expetenda est quàm altera, quæ tantummodo sit expetenda. Ac comparationes quidem rerum inter se, eo modo, quo dictum est, faciendæ sunt.

61 Quod æquè fugiēdū ac expetēdū est, minus expetēdū est eò, quod tātūmodo sit expetēdū. Exēpli gratia, si Remp. administrare, tùm expetēdum, tùm etiā fugiendum est (fugiendum quidem ob perturbationes, & (vt ita loquar) [a] incōmodationes, quæ sæpe ab iis fiunt, qui Remp. administrant) philosophiæ autem studia colere, tantummodo expetendum: hoc erit magis expetendum. Item, si gloria, pulchritudo, ac diuitię, cùm sint expetenda, habent etiam in se aliquid fugiendum, ob insidias videlicet, quę huiusmodi bona obtinentibus sæpe parantur; valetudo autem ac robur, tantùm sunt expetenda: hæc illis erunt magis expetenda. Sic etiam nauigando mercaturam facere, quamuis sit expetendum, tamen [b] propter pericula, quę in mari contingunt, erit aliquo pacto fugiendum: agriculturam verò exercere, tantummodo est expetendum.

[a] ἐπηρείας. est enim ἐπηρεασμὸς alicuius studiū alij aduersandi, ac conatus desideriaq; illius uoluptatis tātum causa impediendi, vt definit Arist. II. lib. ῥητο. quo vitio laborant omnes ferè qui Remp. gerunt. ἐπηρεάζειν propriè significat, ut patrio sermone dicimus, fare dispetti.

[b] Vnde M. Cato principio libri de re Rustica inquit. Est interdum præstare, mercaturis rē quærere, ni tàm periculosum fiet. & paulo infrà agricolam mercatori anteponit, quòd ex agricultura stabilior minusque periculosus quæstus consequatur.

οἱ αὐτοὶ δὲ τόποι χρήσιμοι καὶ πρὸς τὸ δεικνύναι ὁτιοῦν αἱρετὸν ἢ φευκτόν. ἀφαιρεῖν γὰρ μόνον δεῖ τὴν πρὸς ἕτερον ὑπεροχήν. εἰ γὰρ τὸ τιμιώτερον αἱρετώτερον, καὶ τὸ τίμιον αἱρετόν. καὶ εἰ τὸ χρησιμώτερον αἱρετώτερον, καὶ τὸ χρήσιμον αἱρετόν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, ὅσα τοιαύτην ἔχει τὴν σύγκρισιν. ἐπ' ἐνίων γὰρ εὐθέως κατὰ τὴν πρὸς ἕτερον σύγκρισιν, καὶ ὅτι αἱρετὸν ἑκάτερον, ἢ τὸ ἕτερον, λέγομεν· οἷον ὅταν τὸ μὲν φύσει ἀγαθόν, τὸ δὲ μὴ φύσει λέγωμεν. τὸ γὰρ φύσει ἀγαθόν, δῆλον ὅτι αἱρετόν ἐστι.

Iidem autem loci sunt etiam accommodati ad ostendendum, quid sit expetendum, quidque fugiendum: detrahenda enim

tantummodo est alterius exuperantia. Nam si, quod maiore honore dignum est, magis expetendum est, & quod honore est dignum, expetendum erit: item, si, quod est vtilius, magis expetendum est, & quod est vtile, expetendum erit. Similis autem ratio & in aliis valet, quæ eiusmodi habent comparationem. Etenim nonnulla sunt, ex quorum inter se comparatione statim vtrumque expetendum esse, aut alterum, intelligimus: veluti cum vnũ naturale bonum, alterum nõ naturale esse dicimus: illud enim, quod naturale bonum sit, expetendum esse, perspicuum est.

62 Cùm tradidisset locos, quorum ope, aliqua inter se comparando, quid magis expetendum sit, videre possumus: eosdem inquit accõmodatos esse ad ostẽdendum, aliquid simpliciter esse expetendum. Quia enim illud, quod est vtilius, aut honestius, magis expetendum est: si comparationem tollamus, nec, quid antecellat, consideremus, iisdem locis vtrumque simpliciter expetendum esse cõfirmabimus. idcirco enim, quod aliquo magis sit honorandum, magis expetendum eo est, quòd id, quod honorandum, est expetendum: quare si honorandum esse sumitur, expetendum etiam esse sumetur. Sic etiam quod sit vtilius, magis expetendum est, quia id, quod vtile, expetendum. Cùm igitur eorum inter se cõparationem detraxerimus, sumendum erit, omne id, quod sit honorandum, [a] expetendum esse: illud enim, quod est honorandum, a principii (vt ita dicam) naturam obtinet, quare etiam expetendum. similiter & quod sit vtile, expetendum est: diuitiæ autem vtiles sunt. Eadem autem ratio & aliorum est (quatenus probatur id, quod magis sit expetendum) quę, cùm de omnium consensu expetenda sint, qua ratione illa inter se comparantur, magis expetenda esse ostenduntur. non enim id solùm, quod magis sit honorandum, aut sit vtilius, magis expetendum est, sed etiam illud, quod sit verbi gratia, minus molestum, vel magis iucundum, aut quod optimus quisque alteri anteponeret. Omninoque si ex iis modis, quibus aliquid, quòd magis sit expetendum, antecellere ostensum est, comparationem detrahamus, nec quid antecellat, consideremus, sed id, quod simpliciter est, accipiamus: vnumquodque eorum expetendum esse demonstrabimus. ¶Nonnulla verò esse inquit, in quorum inter se collatione facienda, statim ambo, aut alterum saltem ipsorum expetendum esse, manifestò deprehendimus atque intelligimus: ambo enim quę inter se comparantur, prorsus quidem talia esse oportet: perspicuè autem alterum quod [b] adiungitur, tale esse Aristoteles ponit: illud namque, cui apponitur bonum, perspicuè habet & alterum quod apponitur. In collatione verò, quę fit eorum, quę sunt vtilia, de duobus vtilibus vtrum vtilius, non ita manifestò comprehenditur id, quod est expetendum. Hæc igitur est ipsius sententia, in nonnullis confirmatione opus non esse ad [c] docendum, vtrumque eorum quę in contentionem vocantur, esse expetendum: fortasse enim ad demonstrandum, id, quod sit vtile, aut iucundum, aut non molestum, aut diuturnum, expetendum esse, rationem aliquã adhibere necesse est: sed ea, quorum incidit contentio & comparatio, de duobus bonis vtrum maius bonum, manifestò expetenda esse cognoscuntur: bona enim cùm sint, expetenda esse, quis ignorat? nam quod expetitur, bonum est; & quod est bonum, expetendum est. [An non id, quod diximus, intelligit illis verbis, *similis autem ratio & in aliis valet, quæ talem habent syncrisim*: sed hoc propterea dixit, quia nõnulla ex iis, quæ in comparationem vocantur, non apertè omnino

a Ita & Arist. lib. I. Ethico. ad Nicom. cap. 12. τὴν ἀρχὴν δὲ καὶ τ' αἴτιον τῶν ἀγαθῶν, τίμιόν τι καὶ θεῖον τίθεμεν.

b Verba fortasse in Græco codi. deprauata sunt.

c πρὸς τὸ δεῖξαι αἱρετὸν ἑκάτερον τῶν, etcet. hec recta scriptura est: nam antea pro αἱρετὸν ἑκάτερον legebatur αἱρετώτερον.

no habent id, quod simpliciter dicitur: neque enim, si id quod aliquid vno exuperat, plus illo est, ob eamque causam tria plura sunt quàm duo: iam & tria multa esse, potest hoc exposito loco demonstrari, si ex numero ternario exuperantiam, qua binarium excedit, detrahamus, neque illam consideremus. Præterea, nec quia omnis magnitudo, quantulacumque sit, [d] aliquam aliam magnitudinem exuperat; illud autem quod aliquid exuperat, maius est: iam quòd sit maior, erit etiam magna. Hanc igitur ob causam addidit illa verba, *quæ talem habent syncrisim*: talem autem syncrisim habent illa, quæ eò magis expetenda aliis demonstramus, quia sint diuturniora bona, vel stabiliora, vel alio quopiam simili modo affecta. Ergo qui dicit, bonum naturale bono non naturali magis expetendum esse, quòd bonum est expetendum; in vtroque verò idem bonum sumit: & vtrumque expetendum esse ponit. Siquid enim sit natura bonum, id etiam expetendum est: itemque, siquid non natura valeat, sed tamen bonum sit, id etiam expetendum, cùm omne bonum sit expetendum. Hæc igitur inter se comparantes dicemus, naturale bonum magis expetendum non naturali: ac naturale quidem bonum est, valetudo: non naturale autem, pugnando vincere: quare valetudo magis expetenda victoria, quam in bello adipiscimur. Illud autem quod expetendum sit, comprobantes, dicemus, naturale bonum expetendum est: valetudo est bonum naturale, ergo expetenda. prætereaque, omne bonum expetendum: quare & id, quod non sit naturale. Eodem autem pacto & de eo dicendum est, quod magis sit honorandum: si aliud alio, quòd magis sit honorandum, magis expetendum est, quia illud quod honorandum, expetendum; quod verò magis quàm aliud, honorandum, etiam honorandũ est, cùm magis honorandũ nõ esset, nisi etiã honorãdũ esset: hoc igitur erit expetẽdũ. Sic etiam si aliud alio magis expetendum est, quòd sit bonum diuturnius, idem hoc expetendum erit, quòd sit diuturnum. Quomodo igitur locis cõparationis ad ostendendum, aliquid simpliciter expetedum esse, vti posſimus, manifestum est. ¶ Sed quęſierit aliquis, an hoc quod traditur, vsquequaque verum sit: nempe, id, quod magis aliquid est, simpliciter etiam esse. terra enim dicitur esse leuior terra, quę tamen non est simpliciter leuis: & ignis igne grauior, cùm simpliciter non sit grauis. An non propriè illa dicuntur inter se comparari, quæ rationem illius rei, ex qua eorum inter se fit comparatio, non recipiunt: nequè enim terra quæ simpliciter grauis est, recipit in se rationem & naturam leuitatis, quæ est, vt illud dicatur leue, quod sua ui sursum fertur: neque item ignis rationem grauitatis. Terra quidem non dicitur leuior, quòd celerius sua ui sursum fertur, sed quòd facilius potest impelli, atque sursum ab aliis expeditius mitti: quod leuitatis naturæ non conuenit. similiter & ignis dicitur grauior, qui potest deorsum facilius trudi. Hæc igitur non propriè, sed ex similitudine quadam, grauiora & leuiora dicuntur.

[d] *Hoc euenit, quia omnis magnitudo infinitè secari ac diuidi potest.*

Dubitatio.

Solutio.

Ληπτέον δ' ὅτι μάλιστα καθόλου τοὺς τόπους περὶ τοῦ μᾶλλον καὶ τοῦ μείζονος: ληφθέντες γὰρ οὕτως, πρὸς πλείω χρήσιμοι ἂν εἴησαν. ἔστι δὲ αὐτῶν τῶν εἰρημένων ἐνίους καθόλου μᾶλλον ποιεῖν, μικρὸν παραλλάσσοντα τῇ προσηγορίᾳ. οἷον τὸ φύσει τοιοῦτον, τοῦ μὴ φύσει τοιούτου, μᾶλλον τοιοῦτον. Καὶ εἰ τὸ μὲν ποιεῖ, τὸ δὲ μὴ ποιεῖ τὸ ἔχον τοιόνδε, ᾧ ἂν ὑπάρχῃ, μᾶλλον τοιοῦτον ὅ ποτε ποιεῖ, ἢ ὃ μὴ ποιεῖ. εἰ δ' ἄμφω ποιεῖ, τὸ μᾶλλον ποιοῦν τοιοῦτον.

Loci autem de eo, quod magis est aut maius, quàm maximè generales sumendi sunt: nã si hoc modo sumãtur, ad plura erũt vtiles. Ex iis verò, quos exposuimus, nõnulli generaliores effici

possunt, si paulum, dum pronunciantur, immutentur. Exempli gratia, quod natura tale est, eo, quod non natura sit tale, est magis tale. Item, si id quod præditum est, cùm ei alterutrum adfuerit, ab altero efficiatur tale, ab altero minimè: illud, à quo efficitur, magis tale erit, quàm id, à quo nõ efficitur. quòd si ab vtroque efficitur, illud, à quo magis tale efficitur.

63 Hactenus de eo, quod magis est aut maius, & omninò de iis quæ in contentionem vocantur, locos nobis exposuit in certa ac peculiari materia, nempe in eo, quod dicimus esse expetẽdũ. In omnibus enĩ qui ab ipso cõmemorati sunt, hoc modo de rebus fiebat cõtẽtio:[f] nam loci, si ĩ certa & definita materia exponãtur, facilius apprehendũtur: verbi gratia si ita dicamus, quod sua natura expetendum est, bonum est; valetudo autem sua ui & natura expetenda est: ergo naturale bonum est. sunt autem nonnulla sua ui & natura expetenda, quę nõ omninò sunt bona: [a] exempli gratia; valetudo igitur bonum est, quæ, vt diximus, prima efficitur propositio. Verùm quia comparatio non ex eo tantùm fit, quod dicimus esse expetendum: optima ratione & via his, quæ subdit, verbis nos docet, quomodo his ipsis locis generaliter, & ad omnia alia, ex quibus fit comparatio, vti posimus. Nam cùm magis, quod cõparatè accipitur, nõ de bonis tãtũ & malis, seu de rebus expetendis & fugiendis vsurpetur, verùm etiã de aliis, [a] vt de calido & frigido, albo & nigro, & huiuscemodi multis; similiter & maius, nõ de bonis & malis dũtaxat, sed etiã de aliis, præsertim quidẽ de magnitudinibus, tùm de numeris & põderibus, ac de aliis sexcẽtis, quorũ cõparatio fieri solet ex eo, quod fit maius: locos cõparationis, quos intellexit, cũ addidit illa verba. *de eo, quod magis est aut maius*, quàm maximè generales sumendos esse inquit: nã si hoc modo sumãtur, ad plura cõcludẽda valebũt, & nõ ad illa dũtaxat, quę sint expetẽda aut fugiẽda, ad quæ hactenus iis vsi sumus. ¶ Hoc ita tradito, qua ratione loci, qui commemorati sunt, generales effici queant, exponit. Ergo si paulum, dum traduntur, à nobis immutentur, hoc est, si id quod communius est, pro eo quod speciatim ponitur, substituatur: eueniet id quod dictum est. quomodo autem id fiat, exemplis in aliquot locis declarat. In primis igitur [b] tradebatur, illud, quod natura bonum sit, magis expetendum esse eo, quod non natura: atque ita hic locus ad solam bonorum inter se comparationem faciendam nobis vtilis est. Verùm quia non solùm id, quod natura bonum sit, eo quod non natura, magis bonum est magisque expetendum, sed etiam quod natura fugiendum, eo quod non natura, magis fugiendum est; & quod natura candidum, eo quod non natura, candidius; eademque ratio valet in eo quod sit salubre, aut dulce, aut alio simili modo affectum: profectò si pro eo quod est, natura bonum, dicamus, quod natura tale est, eo quod nõ natura sit tale, est magis tale; & locum generalem efficiemus, & illo ad omnia vti poterimus, in quibus id quod natura dicitur, & id quod non natura, reperiantur: nam si ita locus ponatur, omnia concessa erunt. [[c] Ponatur præterea, illud quod sua pręsentia bonos efficit, eo quod non efficit, magis expetendum esse. Itaque si loco huius quod speciatim ponitur, sumamus, illud, à quo id quod ipso præditum sit, efficitur tale, magis tale est quàm illud, à quo non efficitur: cùm locum generalẽ reddemus, tùm etiam illo ad multa alia vti poterimus. Aristoteles autem locũ hunc ita exposuit: si alterum cum adsuerit, efficiat id quod ipso præditum sit, tale, alterum non efficiat: illud quod efficit, magis tale erit quàm id, quod non efficit. Atque ita quod calidum efficit, calidius est, quàm quod non efficit; & quod dulce, aut honestum, aut iucundum reddit, magis tale est, quàm quod non reddit. Quòd

[f] *vide pagina 5.*

[a] οἷον, ἀγαθὸν ἄρα ἡ ὑγίεια. *Locum hunc mutilatum sine ope alicuius melioris codicis restituere me non posse ingenuè fateor.*

[a] *Ex auctoritate codicis Med. hic nonnulla restituimus, quæ sine dubio in impresso desiderabantur.*

[b] *Comm. x.*

[c] *Comm. 46.*

[d] Quòd si ambo illud ipsum tale efficiunt: quod magis efficit, magis etiam tale est: vt si ambo efficiunt id, quod ipsis præditum sit, aut dulce, aut calidū, aut bonum, aut maius. Mutatio igitur in id, quod sit maximè generale, nempe in vocabulum, tale, communiorem longèque vtiliorem locum reddidit. *d Comm.46.*

Ἔτι εἰ τῷ αὐτῷ τινος τὸ μὲν μᾶλλον, τὸ δ' ἧττον τοιοῦτον.

Præterea, si vno & eodem alterum sit magis tale, alterū minus. *Non sunt in exemplari Abb. Floren. hi duo loci proximi.*

64 Eiusmodi quendam locum [a] antea tradidit. si quo bono vnum maius bonū sit, alterum minus, maius magis expetendum est. atque ita bona corporis habitu do magis expetenda est diuitiis, quòd illa magis expetēda sit valetudine, hæ autem minus. Quomodo igitur & hunc locum, dum illum exponimus & pronunciamus, generaliorem efficere possimus, ipse docet: nimirum si ita dicamus: si vno & eodem alterum sit magis tale, alterum minus, illud, quod eo ipso magis est tale, est etiam magis tale quàm alterū. Locus igitur generalis erit, si pro voce bonum, accipiamus uocabulum, tale: nam si ita ponatur, tunc nobis licebit ostēdere, aliud maius esse quàm aliud, vel plus, vel calidius, vel dulcius, vel omninò horum simile, propterea quòd vocabulum, tale, his omnibus accommodatur. *a Comm.48.*

Καὶ εἰ τὸ μὲν τοιούτου μᾶλλον τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτως τοιοῦτον, δῆλον, ὅτι τὸ πρῶτον ἐστὶ μᾶλλον τοιοῦτον.

Et si alterum tali sit magis tale, alterum autem non ita tale: illud, quod primum positum est, esse magis tale, constat.

65 Locus ita se habebat. si alterum aliquo bono sit maius bonum, alterum autem bonum quidem sit, sed nullo tamē bono maius: illud, quod aliquo bono sit maius bonum, magis expetendum est. Locus autem, quem hîc exponit, generalis est & vniuersus; illius namque ope probare possumus, aliud alio calidius esse, vel dulcius, atque alia sexcenta, propterea quòd vocabulum, tale, [a] nō solùm iis quę sint expetenda, sed etiam aliis multis accommodatur. Videtur autem hic locus diuersus esse ab iis, qui expositi sunt, si quis eum ita accipiat: nam calidum, si magis calido sit calidius, magis est calidum: itemque, quod dulcius sit magis dulci: similisque ratio valet in frigido, amaro, & huiuscemodi aliis. *a καὶ μὴ τοῖς αἱρετοῖς μόνοις. sic legendum est, non εἰ μὴ τοῖς, ut et cod. Med. habet.*

ADNOTATIONES.

Et si alterum tali sit magis tale] Nullum talem locum, qualem intelligit Alexander in suo commentario, exposuit nobis adhuc Aristoteles, si ii percurrantur. quare ego, si ita legatur in Græco codice, καὶ εἰ τὸ μὲν μᾶλλον τοιούτου τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτου τοιοῦτον, & cet. referrem hæc verba ad locum 46, vbi dicebatur: ἢ εἰ τὸ βέλτιον καὶ κυριώτερον ποιεῖ ἀγαθόν: οἷον εἰ τὸ μὲν τὴν ψυχὴν, τὸ δὲ τὸ σῶμα: idem enim videtur vtrobique significari. Quòd si hanc scripturam, quam & codex Med. et nonnulli alii habent, et quam ego vt integriorem secutus sum, tueri volumus; καὶ εἰ τὸ μὲν τοιούτου μᾶλλον τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτως τοιοῦτον: ita hæc verba accipienda erunt, vt respondeant loco 49, cum tradebatur: ἀλλὰ καὶ εἰ δύο τινὰ τινὸς ἐστὶν αἱρετώτερα, τὸ μᾶλλον αἱρετώτερον, τοῦ ἧττον αἱρετωτέρου αἱρετώτερον. In hanc certè sententiā propensior sum, præsertim cùm videam locum hunc, & proximum superiorem, coniunctim quoque hîc tradi, quemadmodum & antea, vbi eos philosophus exponebat.

Ἔτι ἐκ τῆς προσθέσεως, εἰ τῷ αὐτῷ προστιθέμενόν τι τὸ ὅλον μᾶλλον ποιεῖ τοιοῦτον. καὶ εἰ τῷ ἧττον τοιούτῳ προστιθέμενον, τὸ ὅλον μᾶλλον ποιεῖ τοιοῦτον.

Præterea ex adiunctione, si eidem rei aliquid adiungatur, totumque magis tale efficiat. Et si rei minus tali aliquid adiungatur, totumque magis tale reddat.

66 Quò & loci ab adiũctione ac detractione sũpti, quos iã exposuit, generaliores cõmunioresq; effici posint, ostendit. Loci igitur ab adiunctione, quos [a] exposuit, erant hi: si eidem rei aliquid adiungatur, totumque optabilius efficiat: item, si quid minori adiunctum, totum maius reddat. In quos autem eos nũc vertit, eiusmodi sunt: si eidem rei aliquid adiũgatur, totumque magis tale efficiat: nam hæc vox, magis tale, generalior est quàm illa, optabilius, quippe quæ rei candidæ, dulci, malæ, & huius generis aliis conueniat. Item, si rei minus tali aliquid adiungatur, totumque magis tale reddat: hæ namque voces, minus tale, & magis tale, communiores sunt quàm [b] illę, minus optabile, & magis optabile.

[a] Com. 52, & 53.

[b] τοῦ ἧττον αἱρετοῦ καὶ μᾶλλον αἱρετοῦ. Sic mendosum locum castigauimus: quod postea confirmauit cod. Med.

ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῆς ἀφαιρέσεως· οὗ γὰρ ἀφαιρεθέντος τὸ λειπόμενον ἧττον τοιοῦτον, αὐτὸ μᾶλλον τοιοῦτον.

Similique modo ex detractione: illud enim, quo detracto id quod restat, minus tale efficitur, magis tale est.

67 Locus à detractione, qui ex eo, quod dicimus esse expetendum, [a] sumebatur, erat huiusmodi. illud, quo ab eadem re detracto, id quod restat, minus efficitur, maius est. In quem autem nunc mutatur, ita se habet. illud, quo detracto id quod restat, minus tale efficitur, magis tale est: hæ enim voces, minus tale & magis tale, communiores generalioresque sunt quàm illę, minus & maius, quibus superius vsus est. quare si ita locus ponatur, ad plura concludenda illo vti possumus.

[a] Comm. 54.

Καὶ τὰ τοῖς ἐναντίοις ἀμιγέστερα, μᾶλλον τοιαῦτα· οἷον λευκότερον, τὸ τῷ μέλανι ἀμιγέστερον.

Et quæ contrariis sint minus admixta, magis talia sunt: uerbi gratia id candidius est, quod sit minus admixtum [c] nigrori.

[c] nigrori, non nigredini diximus, bonos Latini sermonis auctores secuti.

68 Ille etiam locus, qui sumebat, bonum quod malo sit minus admixtum, magis expetendum esse eo, quod admixtum sit, in generaliorem conuertitur. Badẽ igitur bona [a] dicebat cum indolẽtia copulata, magis expetẽda esse, quàm cũ dolore: hic verò generaliter inquit, illa esse magis talia, quæ sint minus admixta contrariis. quare illud magis album est, quod sit minus admixtum contrario: eademque ratio est eius, quod dulce, aut iucundum sit, & aliorum similium, si aliquid est iis contrarium. Potest verò etiam hic locus ex eo mutatus esse, qui in [b] postremis ponebatur, cum ipse aiebat: ex eo etiam argumenta sumuntur, si rem propositam æquè fugiendam ac expetendam esse ostendamus.

[a] Comm. 24.

[b] Comm. 61.

ADNOTATIONES.

Et quæ contrariis sint minus admixta] Nulli ex ijs locis, quos refert Alexander, videntur mihi hæc verba respondere: ad locum autem 35 puto ea omnino pertinere, vbi hoc tradebatur: καὶ τὸ τοῖς κακοῖς ἀκοινωνητότερον: verbum enim ἀκοινωνητότερον, idem valere existimo, atque illud ἀμιγέστερον.

Ἔτι παρὰ τὰ εἰρημένα πρότερον, τὸ μᾶλλον ἐπιδεχόμενον τὸν οἰκεῖον τοῦ προκειμένου λόγον. οἷον εἰ τοῦ λευκοῦ ἐστὶ λόγος, χρῶμα διακριτικὸν ὄψεως, λευκότερον, ὅ ἐστι μᾶλλον χρῶμα διακριτικὸν ὄψεως.

Sed præter ea quæ antea dicta sunt, illud quod propriã propositæ rei definitionem sibi magis vendicat: verbi gratia, si candoris hæc sit definitio, color aspectum dissipãs, is candidior color erit, qui magis aspectum dissipauerit.

69 Ad eos locos comparationis, qui expositi sunt, hunc modò adiungit, qui à definitione sumitur: eius enim, cùm de rerum expetendarum inter se comparatione

tione ageret, non meminit. Ergo quod propositæ rei definitionem sibi vendicat, magis tale est: magis quidem album, quod albedinis definitionem magis recipit, nempe is color, qui magis aspectum disipat; etenim album est id, quod colore suo diffundit aspectum: magis autem dulce, quod dulcedinis definitionem magis obtinet: magis item ex his expetendum, quod rei expetendæ definitionem sibi magis adsciscit: similiter magis iucundum, quod iucunditatis seu voluptatis. Hunc autem locum inter eos, qui aliquid magis expetendum esse demonstrāt, idcircò fortasse non exposuit, quòd neque eius, quod dicimus esse expetendum, neque boni, vna est definitio: bona namque, & illa quę sunt expetenda, numerantur in iis, quæ multis modis dicuntur.

Ἂν δ᾽ ἐπὶ μέρους, καὶ μὴ καθόλου τὸ πρόβλημα τεθῇ, πρῶτον μὲν οἱ εἰρημένοι καθόλου κατασκευαστικοὶ, ἢ ἀνασκευαστικοὶ τόποι πάντες χρήσιμοι.[a] καθόλου γὰρ ἀναιροῦντες ἢ κατασκευάζοντες, καὶ ἐπὶ μέρους δείκνυμεν. εἰ γὰρ παντὶ ὑπάρχει, καὶ τινὶ, καὶ εἰ μηδενὶ, οὐδὲ τινὶ. μάλιστα δ᾽ ἐπίκαιροι καὶ κοινοὶ τῶν τόπων, οἵ τε ἐκ τῶν ἀντικειμένων, καὶ τῶν συστοίχων, καὶ τῶν πτώσεων. ὁμοίως γὰρ ἔνδοξον τὸ ἀξιῶσαι, εἰ πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθὸν, καὶ λύπην πᾶσαν εἶναι κακὸν, τῷ εἴ τις ἡδονὴ ἀγαθὸν, καὶ λύπην εἶναί τινα κακόν. ἔτι εἴ τις αἴσθησις μή ἐστι δύναμις, καὶ ἀναισθησία τις, οὐκ ἔστιν ἀδυναμία. καὶ εἴ τι ὑποληπτὸν ἐπιστητὸν, ὑπόληψίς τις ἐπιστήμη. πάλιν εἴ τι τῶν ἀδίκων ἀγαθὸν, καὶ τῶν δικαίων τι κακόν. καὶ εἴ τι τῶν ἀδίκως κακὸν, καὶ τῶν δικαίως τι ἀγαθόν. καὶ εἴ τι τῶν ἀδίκως κακὸν, καὶ τῶν ἀδίκων τι κακόν. καὶ εἴ τι τῶν ἡδέων φευκτὸν, καὶ ἡδονή τις φευκτόν. κατὰ ταυτὰ δὲ καὶ εἴ τι τῶν ἡδέων ὠφέλιμον, καὶ ἡδονή τις ἀγαθόν.

a hoc expressit M. Tul. cum in lib. de perfecto Ora. inquit. Latius n. de genere, quàm de parte disceptare licet: vt quod in vniuerso sit probatū, id in parte sit probari necesse.

Quòd si quæstio non in toto genere, sed in parte ponatur, primùm quidem vtiles sunt loci omnes generales ad confirmādum vel refellendum idonei, quos exposuimus. Siquid enim in toto genere vel euertendo vel cōfirmando probamus, id etiā in parte probari necesse est: nam si aliquid omni conuenit, etiā alicui; & si nulli, nec item alicui. Maximè autem opportuni communesque loci sunt ii, qui ex contrariis, & ex coniugatis, & ex casibus sumuntur. Aequè enim probabile est enūciare, si omnis voluptas sit bonum, etiā dolorem omnem esse malum, ac, siqua voluptas sit bonum, etiam dolorem aliquem esse malum. Prætèrea, siquis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus ortas erit imbecillitas. Quòd si aliquid opinabile potest sciri, aliqua etiam opinio erit scientia. Itemque, siquid iniustū sit bonū, aliquid etiam iustum erit malum: & siquid eorum quæ iniustè fiunt, malum est, aliquid etiā eorum quæ iustè fiunt, erit bonū: & siquid eorum quæ iniustè fiunt, malum est, aliquid etiā iniustum erit malum. Et siquid iucūdum sit fugiendum, aliqua etiā iucunditas erit fugienda: eodemque modo siquid iucūdum sit vtile, aliqua etiam iucunditas erit bonum.

70 Postquàm in secundo libro & in hoc tertio egit de quæstionibus generalibus, quæ ad accidens referūtur, vel cum[b] simpliciter aliquid in iis quæritur, vel cum comparatè, &, qui loci ad illas accommodati sint, explicauit: nunc de quæstionibus comparationis non amplius loquitur, sed illud agit vt ostendat, quomodo locis iis qui traditi sunt, ad confirmandas vel refellēdas quæstiones, quæ non in toto genere, sed in parte generis afferuntur, vti possimus. Primùm verò id docet, quod & initio secundi libri admonuit, locos generales non solùm

b Sic & M. Tullius in Topicis.

ad quæstiones de genere vtiles esse, sed etiam ad illas de parte: per quem enim locum comprobatur genus, per eundem etiam comprobantur partes; & per quem genus refellitur, per eundem refelluntur & partes. Ergo si quæstio de parte proposita sit, loci generales ad illam vtiles erunt: nam si quæratur, sit ne hæc voluptas bonum, qui probauit omnem voluptatem esse bonum, probauit etiã hoc de illa, quæ in quæstionem vocatur. quòd si propositum sit ad demonstrandum, quandam voluptatem non esse bonum: qui nullam probauit, ne hãc quidẽ quæ proponitur, bonum esse, demonstrat. Hac autem de re meminit etiam, vt dixi, initio secundi libri, cum inquit. *Quæ generaliter ad confirmandum vel infirmandum valent, communia sunt vtrique quæstionum generi*: nunc verò de illa apertius explicauit. [Cùm autem dixisset, locos omnes generales ad quæstiones etiã de parte accommodari, quòd omne id quod in toto genere probatur, in partibus quoque quę sub illo continentur, probetur: maximè opportunos cõmunesque locos ad quæstiones tùm de genere tùm de parte generis confirmandas vel refellendas eos esse inquit, qui ex contrariis, & ex coniugatis, & ex casibus sumantur. Neque enim omnia, quæ in parte proponuntur, generum vniuersorũ ope probari possunt: propterea quòd singula quędã reperiuntur, quę per se vera sunt vel falsa, ita vt ad illorum confirmationem propriis quibusdam locis opus sit. Ad probandum verbi gratia, aliquem hominem esse musicum, non possumus ea propositione vti, quòd omnis homo sit musicus; quandoquidem hoc verum non est: nec item ad ostendendum, aliquem nõ esse grãmaticum, ea, quòd nemo. ¶Quoniam verò quatuor sunt c contrariorum genera: in vnoquoque genere pręter quàm in eo, quod ex contradictione appellatur, ostendit, vnum & eundem locum similiter in quæstionem de parte generis, atque in eam de toto genere conuenire, transferendo de hac in illam argumentum: id autem in iis, quæ aduersa nominantur, primùm exponit. Aequè enim (inquit) probabile est, si quæratur sit ne omnis dolor malum, effari, si omnis voluptas sit bonum, etiã dolorem omnem esse malum, qui quidem est locus generalis ab aduersis sumptus, ac, si quæratur sit ne aliquis dolor malum, enunciate, siqua voluptas sit bonum, etiam dolorem aliquem esse malum. voluptas autẽ quę ex honestis actionibus capitur, bonum est; dolor, malum. Quamobrem si quęstio generalis sit, & quæratur sit ne omnis dolor malum, probabile est ex aduerso generaliter argumentari, hunc in modum: si omnis voluptas sit bonum, & omnis dolor erit malum. quòd si quæstio afferatur in parte, & quęratur, sit, nec ne sit aliquis dolor malum, nihil minus probabile est enunciare, siqua voluptas sit bonum, etiã dolorem aliquem esse malum. [Deinceps verò ostendit, locos sumptos ab illis contrariis, quæ priuantia appellantur, non minus quæstionibus de parte generis, quàm iis, quę in toto genere proponuntur, esse aptos: verùm de illis quidẽ mentionem facit, has autem silentio præterit, perinde ac de iis in superioribus locutus sit. Contraria verò quæ vocantur priuantia, sunt verbi caussa sensus, & sensus d orbitas: loquens autem de quæstionibus quæ in parte generis afferuntur, inquit, siquis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus orbitas erit imbecillitas: nam si docere instituimus, alicuius sensus orbitatem non esse imbecillitatem, hoc concludemus, si sumamus aliquem sensum non esse facultatem. Quòd si propositum generale comprobare volumus, omnium sensuum orbitatem esse imbecillitatem: profectò si in habitu contrarium etiam generaliter sumamus, omnem sensum esse facultatem, omnium sensuum orbitatem imbecillitatem esse, à nobis probatum erit: ἀξίωμα enim, id est effatum, siue pronunciatum, similis est in vnoquoque problemate. Porrò autem si nobis ostendere statutũ

c *Nos M. Tullium in Topicis secuti, ἀντικείμενα vertimus contraria, & τὰ ἐναντία, aduersa.*

d *Quemadmodum orbare aliquem sensibus, pro eo quod est ἀναισθητον ποιεῖν, dixit Cicero in Lucullo, ita nos ἀναισθησίαν sensus orbitatem reddidimus.*

statutum esset, nullius sensus orbitatem esse imbecillitatem; sumeremus nullū sensum facultatem esse: huic enim consequens est exemplum illud quod adposuit, siquis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus orbitas erit imbecillitas: & sanè, cuius sensus habitum facultatē non esse sumitur, illius nec etiā orbitas erit imbecillitas. [Postremò affert exemplum eorum contrariorū, quę cum aliquo conferuntur, siue (si placet ita vertere) ad aliud referuntur; atque in quęstione de parte generis demonstrat, posse argumentum de toto genere in partem transferri. Si quæratur igitur, sit ne aliqua opinio scientia, ex cōtrario ita quispiam argumentationem conficiet: si aliquid opinabile potest sciri, aliqua etiam opinio erit scientia: opinio enim rei opinabilis est. Quòd si quæstio esset generalis, & quęreretur num omnis opinio sit scientia, sumeretur id quod opinioni contrarium est, nempe opinabile in vniuersum, ad hunc modū: si, quicquid opinabile est, id etiam potest sciri, & omnis opinio erit scientia. [Eorum autem contrariorum, quæ aientia & negantia nuncupantur, non meminit, propterea quòd contradictio in partibus locum non habet: neque enim huic dicto, aliquid est, aduersatur illud, aliquid non est, quòd repugnantia ex contradictione versatur in generibus vniuersis, atque in iis quæ vniuersis generibus subiecta illis aduersantur. quapropter qui propositionem quę vniuersè affirmat, in aliquo falsam esse ostendit, is eam quæ in parte negat, veram in illo esse demōstrat: contràque, qui hanc falsam demonstrat, illam veram ostendit. eademque ratio est negationis vniuersę, & affirmationis in parte. At qui affirmationem in parte falsā esse probat, is nō idē hoc in negatione quę est ī parte, probat, nisi quatenus hæc sub vniuersa continetur: neque enim qui aliquem hominem musicum esse demonstrat, aliquem etiam non esse musicum demonstrat. ¶Cùm autē de contrariis locutus esset, & quomodo iidem loci ad quęstiones de toto genere ac de parte generis, apti sint, ostendisset: docet postea, qua ratione effici possit, vt locus qui à casibus sumitur, in quęstionem quoque de parte generis conueniat, & in illam incidat. Casus igitur huius vocis, iustum, est, iustè: quòd si in parte quæratur, sit ne aliquid iniustum bonum, à casibus ita quispiam argumentabitur: siquid eorum quæ iniustè fiunt, bonum est, aliquid etiam iniustū erit bonum. Sed si generatim atque vniuersè quęreretur, sit ne, quod iniustum est, bonū, casus sīpliciter sumeretur, hūc ī modū: si, quod iniustè fit, benè fit, & quod iniustū est, bonū est: vt.n. in quæstione de parte generis sumitur id quod ī parte est, sic in ea quæ de toto genere proponitur, genus vniuersū accipitur. [Deinde verò exponit, quomodo locus à cōiugatis ad easdem quæstiones de parte generis accommodetur. Coniugata sunt, fortitudo, fortis, fortiter, forte: item, iucūditas, iucunditatem percipiens, iucūdè, iucundum, & huius generis omnia, quæ scilicet inter se ita se habent, vt in superioribus dictum fuit. quare si in parte quæratur, sit, necne sit aliqua iucunditas fugienda, à coniugato eiusmodi argumentum ducetur: siquid iucundum sit fugiendum, & aliqua [e] iucunditas erit fugienda. eodemque modo, siquid iucundum sit vtile, & aliqua iucūditas erit bonum: nam quod vtile est, bonum est. Quòd si simpliciter atque vniuersè de omni iucunditate quæreretur, fugiēda ne sit: simpliciter etiam atq; vniuersè sumeretur, si omnia quæ iucunda sunt, fugienda sunt, & omnem iucunditatem fugiendam esse.

[e] καὶ ἡδονή τις φευκτόν. *ita ex coniectura mēdosū locū castigaui, cùm cod. Med. ab impressis nō discrepet.*

Καὶ ἐπὶ τῶν φθαρτικῶν δὲ, καὶ τῶν γενέσεων καὶ φθορῶν, ὡσαύτως. εἰ γάρ τι φθαρτικὸν ἡδονῆς, ἢ ἐπιστήμης ὂν, ἀγαθόν ἐστι, εἴη ἂν τις ἡδονὴ ἢ ἐπιστήμη τῶν κακῶν. ὁμοίως δὲ καὶ εἰ φθορά τις ἐπιστήμης τῶν ἀγαθῶν, ἢ ἡ γένεσις τῶν κακῶν, ἔσται τις ἐπιστήμη τῶν κακῶν. οἷον εἰ τὸ ἐπιλανθάνεσθαι ἅ τις αἰσχρὰ ἔπραξε, τῶν ἀγαθῶν, ἢ τὸ ἀναμιμνήσκεσθαι τ

κακῶν, εἰ ἂν τὸ ἐπίστασθαι ἅ τις αἰσχρὰ ἔπραξε, τῶν κακῶν. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων· ἐν ἅπασι γὰρ ὁμοίως τὸ ἔνδοξον.

Simili quoque modo argumentandum est ab iis, quæ interimendi vim habent, adeoque ab ipsis tùm procreationibus, tùm interitibus. Siquid enim, quod voluptatis aut scientiæ interimendæ vim habet, bonum sit, aliqua voluptas aut scientia in malis erit. Itemque, si aliquis scientiæ interitus sit in bonis, aut procreatio in malis, aliqua scientia in malis erit: vt si obliuisci rerũ turpium, quas aliquis fecit, bonum sit, uel recordari malum, scire res turpes quas aliquis fecit, malum erit. Non secus se res habet in aliis, propterea quòd eadem ratio probabilitatis ualet in omnibus.

71 Locos sumptos ab iis quæ interimendi vim habent, adeoque ab ipsis tùm procreationibus tùm interitibus, non secus ac illos qui à contrariis, à casibus, & à coniugatis sumuntur, maximè opportunos cõmunesque esse inquit ad quęstiones de parte generis vel confirmandas vel refellendas: eademque probabilitatis ratio valet in illis, atque in iis quę de toto genere proponuntur. Vt enĩ generaliter probabile est, si omne id quod interimendæ voluptatis vim habet, bonum sit, omnem voluptatem esse malum: sic etiam probabile est, si, quod alicuius voluptatis interimendæ vim habet, bonum sit, aliquã voluptatem esse malum. Nam in proximo superiore libro statuebatur, quorum causæ interimentes sint in bonis, ea esse mala, & quorum illæ in malis, hæc bona: contrà verò in generantibus se rem habere. Idem autem in interitu, quod in causis interimentibus, contingit. Causa verò interimens scientię, est verbi gratia obliuio; interitus autem, ignoratio: & valetudinis causa interimens est, cibo ac potione repleris interitus, ipse morbus. Eadem autem ratio valet in scientia: nam vt in vniuersum probabile est, si, [a] quod vim habet interimendæ sciẽtiæ, bonum sit, scientiã esse malum: sic etiam probabile est, si, quod alicuius scientiæ interimendæ vim habet, bonum sit, aliquam scientiam esse malum. Atque hæc quidem sint exempla loci, qui sumitur ab iis, quæ interimendi vim habent. [Locorum autem qui ab interitibus & procreationibus sumuntur, exempla quidem generalia eiusmodi erunt. si interitus scientię sit bonum, scientia erit malum: & si scientiæ procreatio sit in malis, scientia quoque in malis erit. Locus enim ab interitu talis est: cuius rei interitus sit bonum, illa est malum; & cuius interitus malum, illa bonum, vt diximus. is autem qui à procreatione sumitur, ita se habet: cuius procreatio malũ, illud etiã malũ; & cuius procreatio bonũ, & illud bonum. Exẽpla igitur locorũ generalia sunt hęc: sed ipse ea non adposuit, quòd de illis antea locutus esset. Exempla verò quæ partium generis afferuntur, de quibus in præsentia verba facit, dum ostẽdit locos à procreatione & interitu ad has quoque accõmodari, eiusmodi sunt. si [b] aliquis sciẽtiæ interitus sit in bonis, vel procreatio in malis, aliqua scientia in malis erit: amborũ autẽ locorũ exẽplũ simul posuit. Quare si obliuisci rerum turpium, quas aliquis fecit, bonum sit, scire res turpes quas aliquis fecit, malum erit. Atque hoc quidem sit exemplum loci, qui sumitur ab interitu; & iis quæ interimendi vim habent: scientiæ namque ac cognitionis interimendæ vim habet, obliuisci (nomen verò scientiæ pro cognitione communiter vsurpauit) ipsius autem interitus est, oblitum esse. Eius verò, qui à procreatione, huiusmodi est. si flagitiorum alicuius recordari, malum, & illa

a εἰ τὸ ἐπιστήμης φθαρτικὸν ἀγαθόν, ἐπιστήμη κακόν· ita videtur esse legendum: nam illæ voces, κακῆς & τις, quæ & in codi. Medi. retinentur, ociosæ sunt.

b εἰ φθοραὶ ἐπιστήμης τῶν ἀγαθῶν, ἢ γένεσις τῶν κακῶν. hæc emendata scriptura est.

illa ſcire, malum: recordatio enim eſt quędam ſcientiæ procreatio ¶ Non ſecus (inquit) ſe res habet in aliis: propterea quòd eadem probabilitatis ratio valet in ſingulis quæſtionibus, atque in vniuerſis. Sed fortaſſe illud, *in aliis*, ad exépla retulit: neque enim in iis duntaxat quæ poſita ſunt, ſed etiam in aliis, ſi afferantur, verum eſt illud quod dicitur, cuius cauſa interimens eſt expetenda, illud fugiendũ eſſe; & cuius procreatio malũ, illud etiam malum: hi ergo loci nõ in ſola ſcientia veritatem obtinent. Vel cum dicit, *in aliis*, ea intelligit, quę procreationi & interitui comitantur: nempe efficientia, uſus, & adeptiones. Statuebatur enim, illud, cuius efficiens ſit bonum, eſſe bonum; & cuius vſus, vel adeptio ſit expetenda, illud quoque expetendum eſſe. Quemadmodum autem illud, cuius cauſa interimens ſit bonum, malum eſt: ſic contrà illud, cuius cauſa interimens, vel interitus, ſit malum, bonum eſt. Et in his igitur eandem probabilitatis rationem valere inquit, tùm quæſtionibus vniuerſis, tùm etiam ſingulis explicandis.

Ἔτι ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ ὁμοίως. εἰ γὰρ μᾶλλον μέν τι τῶν δ' ἐξ ἄλλου γένους τι τοιοῦτον, ἐκείνων δὲ μηδέν ἐστιν, οὐδ' ἂν τὸ εἰρημένον εἴη τοιοῦτον. οἷον εἰ μᾶλλον μὲν ἐπιστήμη τις ἀγαθὸν ἢ ἡδονὴ, μηδεμία δὲ ἐπιστήμη ἀγαθὸν, οὐδ' ἂν ἡδονὴ εἴη. Καὶ ἐκ τοῦ ὁμοίως δὲ καὶ ἧττον, ὡσαύτως· ἔσται γὰρ καὶ ἀναιρεῖν καὶ κατασκευάζειν. πλὴν ἐκ μὲν τοῦ ὁμοίως, ἀμφότερα· ἐκ δὲ τοῦ ἧττον, κατασκευάζειν μόνον, ἀνασκευάζειν δὲ, οὔ. εἰ γὰρ ὁμοίως δύναμίς τις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη, ἔστι δέ τις δύναμις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη ἐστίν. εἰ δὲ μηδεμία δύναμις, οὐδ' ἐπιστήμη. εἰ δὲ ἧττον δύναμίς τις ἀγαθὸν, ἢ ἐπιστήμη, ἔστι δέ τις δύναμις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη. εἰ δὲ μηδεμία δύναμις ἀγαθὸν, οὐκ ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην μηδεμίαν εἶναι ἀγαθόν. δῆλον οὖν ὅτι κατασκευάζειν μόνον ἔστιν ἐκ τοῦ ἧττον.

Præterea, à maiore, à minore, & à ſimili. Siquid enim eorum, quæ ex alio genere ſunt, magis quidem ſit tale, illorum autem nihil ſit: efficitur, vt neque id quod expoſitum eſt, ſit tale: vt ſi aliqua ſcientia magis bonũ ſit quàm voluptas, nulla autem ſcientia ſit bonum, ne voluptas quidem bonũ erit. Eodemque modo à ſimili, & à minore: nam & euertere, & confirmare licebit: niſi quod ex ſimili vtrumque efficietur, ex minore autem, aſtruere ſolùm, non etiam deſtruere. Si enim facultas aliqua ſimiliter bonum ſit, & ſcientia, aliqua autem facultas ſit bonum: & ſcientia bonum erit. quòd ſi nulla facultas, nec etiam ſcientia. Si verò facultas aliqua minus quàm ſcientia bonum ſit, aliqua autem facultas ſit bonum: & ſcientia bonum erit. quòd ſi nulla facultas, non neceſſe eſt ne vllam quidem ſcientiam eſſe bonum. Conſtat igitur, locum ex minore vim tantùm ad confirmandum habere.

72 Ex locis à maiore, à minore, & à ſimili, qui traditi ſunt, is qui à maiore ſumitur, ad deſtruendum tantùm valet: ſi enim, quod magis aliquid eſt, illud non eſt, ne id quidem quod minus: is verò qui à minore, ad confirmandum: nam ſi, quod minus aliquid eſt, illud eſt, etiam quod magis. is autem qui à ſimili, ad vtrumque eſt vtilis, ad confirmandum ſcilicet & deſtruendum: ſi enim, quod ſimiliter atque aliquid aliud, eſt, illud eſt, & id quod cum ipſo ſimilitudinem habet, illud erit: item, ſi, quod ſimiliter atque aliquid aliud, eſt, illud non eſt, nec

etiam id quod cum ipso similitudinem habet.[Hos igitur cômemoratos locos non minus in singulis quæstionibus, quàm in vniuersis, probabilitatem habere inquit: verùm de illorum diuersitate mentionem non facit, quam, cùm eos in proximo superiore libro traderet, exposuit: vbi docuit, aut vnum, quod contingere illis dicatur, cum duobus comparari; aut duo cum vno, quę duo illi eidem euenire credantur; aut duo cum duobus, eis separatim contingentia. hic tamen exemplo vtitur, in quo vnum ad duo refertur: bonum namque in exemplo allato cum scientia & voluptate comparatur.[a] Sed possumus etiam hoc eodem loco vti, si duo ad vnum referantur: nam si aliqua iniuria, quæ est magis vtilis quàm iucunda, vtilis non sit, nec etiam erit iucunda. Quid? potest etiam duorũ duabus rebus contingentium comparatio fieri, hunc in modum: si aliqua effusio magis est liberalitas, quàm aliqua stultitia temperantia; & tamen primũ nõ est, ne id quidem, quod secundum. In quęstionibus autem de parte generi subiecta, primus locus eorum qui à maiore traditi sunt, argumentandi ansam præbere non potest, cuius tale exemplum erat: si[b] voluptas simpliciter est bonũ, maior quoque voluptas maius bonum erit.¶ Rursus verò & in his locis quæstionũ generalium non meminit, perinde quasi de iis iam locutus sit: singularum autẽ cũ illis similitudinem patefacit. Primùm verò hoc ostẽdit ĩ eo loco, qui à maiore sumitur, & ad refellendum valet. exemplum igitur quæstionis generalis eiusmodi est: si scientia voluptati præstat, & scientia bonum non est, quanto minus erit voluptas? Illud autem, quod ad quæstionem de parte generis pertinet, ipse sic exponit. *si quid eorum, quæ ex alio genere sunt, magis quidem sit tale, illorum autem nihil sit: efficitur, vt neque id quod expositum est, sit tale*. Quid autem sit, *ex alio genere*, exẽplo declarat, cum inquit: *vt si aliqua scientia magis bonum sit quàm voluptas, nulla autem scientia sit bonum, ne voluptas quidem bonum erit*: aliud enim genus est scientia, aliud voluptas. Si simpliciter igitur sumptum esset, si scientia magis quàm voluptas bonum sit, id de diuersis generibus vniuersè dictũ esset, quemadmodum & si diceretur, si hoc genus magis quàm illud tale sit, verbi gratia scientia magis quàm voluptas: hunc verò cùm particulas illas addiderit, *aliquid*, & *aliqua*, quæstionem non generalem, sed generi tamquã partem subiectam effecit. Verùm licet quæstio de parte sit, eam tamen refellens generatim atq; vniuersè inquit, *nulla autẽ scientia sit bonũ*: propterea quòd quæ in parte affirmant, non aliter euerti possunt, si interminatè posita simpliciter debeant euerti, quàm per id quod vniuersè negat, vt ipsemet ĩ eo progressu docebit.[Hic autem locus qui à maiore sumitur, non solùm in diuersis generibus vim suã obtinet, sed etiam in iis quę sub eodem genere continentur: nam si eorum quæ eidẽ generi subiiciuntur, id, quod maximè tale esse videtur, quis accipiat, ac nõ esse tale ostendat, ne vllum quidem aliud eorum quę in eodem genere includuntur, esse tale, demonstrabit: vt si, quod maximè tale esse videtur, nõ sit tale, nec etiã aliud quidquã eorum, quæ in eodem genere insunt, erit tale. Si exempli gratia voluptas, quę maximè videatur esse quiddam optimũ, nempe ea quæ animi propria est, non est optimum quiddam, ne vlla quidem alia optimum erit. Præterea, si ex[d] cõtingentibus illud, quod maximè videtur posse sciri, sciri non potest: ne vllum quidem aliud contingentium genus sciri poterit. Illud autem contingens maximè sciri posse videatur, quod plerumque contingit: ergo si hoc sciri non potest, nec etiam quoduis aliud contingens. Item, nullus sensus est scientia, cùm is non sit, qui maximè esse videtur, nimirũ[e] sensus videndi. Sic neque vir quispiã perturbationibus vacat, quia nec ille, qui maximè videtur vacare, nẽpe vir bonus. Sed & ipse paulò pòst docebit, posse in[f] eodem genere argumẽtationem

a ἔνεστι ὁμοίως χρῆσθαι. ex coniectura ita reposui: quod postea confirmauit cod. Med.

b εἰ ἡ ἡδονὴ ἁπλῶς ἀγαθὸν, καὶ ἡ μᾶλλον ἡδονὴ μᾶλλον ἀγαθόν. sic legẽdum est, ordine verborũ variato.

c Comm. 75.

d Hoc nomine usi sumus, ne, si dẽ pluribus verbis significaretur, res obscura fieret.

e Oculorum.n. vt inquit Plato in Phedro, est in nobis sensus acerrimus. Cice. 2. de Fini. item 2. de Orat.

f ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ γένους. sic castigaui, cùm mendosè legeretur, ἐπὶ τοῦ ἀπὸ τοῦ γένους.

nem ex maiore confici ad refellendum. ¶ Quemadmodum autem locum, qui ex maiore appellatur, & ad destruendũ vim habet, ĩ quæstionibus quoque de parte generis tractari posse affirmat: sic etiam iis, qui ex minore, & ex simili vocantur, easdem quæstiones tùm euerti tùm confirmari licere testatur. Sed hi differunt inter se, quòd is qui à simili sumitur, valet, vt antea traditum fuit, & ad firmandum & ad infirmandum: ille autem qui à minore, ad firmandum tantùm, quemadmodum & qui à maiore, ad infirmandum. Adponit verò etiam exẽpla, quibus declarat, locum sumptum à simili, non minus in singulis quæstionibus quàm in vniuersis, & ad astruendum & ad destruendum vtilem esse: illum verò qui à minore, ad astruendum solùm. Hunc igitur ad redarguendum adhiberi nõ posse, demonstrat: posito namque hoc, si facultas aliqua minus quàm sciẽtia bonum sit; si assumatur aliquam facultatem esse bonum, scientiam quoque bonum esse, ostenditur atque confirmatur. Quòd si assumatur nullam facultatem esse bonum; ne scientiam quidem esse, non ostenditur: neque enim necesse est, si quod minus aliquid est, non sit, ne id quidem esse, quod magis: quẽadmodum contrà necesse est, si quod minus aliquid est, sit, illud etiam esse, quod magis. ¶ Exemplum verò quo vsus est, in his etiam posterioribus locis vnum continet, quod cum duobus comparatur: bonum namque cum facultate atque scientia confertur.

ADNOTATIONES.

Præterea, à maiore, à minore, et à simili] *Locum, quem hic Aristoteles* ἐκ τοῦ ὁμοίως *appellat, nos autem, ex simili, reddidimus, Cicero in II. libro de Oratore, ex pari, vocauit: eũque cum locis ex maiore et minore, quẽadmodũ et hic philosophus, cõiunxit: inquit enim.* Maiora autem & minora & paria comparabimus sic. ex maiore: Si bona existimatio diuitiis prestat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? ex minore sic.

Hic paruæ consuetudinis
Causa huius mortem fert tàm familiariter:
Quid si ipse amasset: quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic. est eiusdẽ & eripere cõtra rempublicã, & largiri pecunias. *Terentius in Heautontimor. cùm Chremetem ita de Menedemo cum filio suo loquentem induxit, ex maiore argumentatus est.* Fortasse aliquanto iniquior erat præter eius lubidinem: Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum? *Idem in Andria à minore argumentum sumpsit, cum inquit.* Nam si illum obiurges, vitæ qui auxiliũ tulit, Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? *Item Aristot. lib. IIII. Ethi. ad Nicom. cap. III. cùm virũ magnanimũ in diuitiis & principatu, et in omni denique bona, vel aduersa fortuna moderatũ se præbere dixisset, nec in rebus quidem prosperis efferri lætitia, in contrariis autem mœrore contrahi, ex maiore argumentum duxit: inquit enim.* οὐδὲ γὰρ περὶ τιμὴν οὕτως ἔχει, ὡς μέγιστον ὄν. αἱ γὰρ δυναστεῖαι, καὶ ὁ πλοῦτος, διὰ τὴν τιμήν ἐστιν αἱρετά· οἱ γοῦν ἔχοντες αὐτά, τιμᾶσθαι δι' αὐτῶν βούλονται. ᾧ δὴ καὶ ἡ τιμὴ μικρόν ἐστι, τούτῳ καὶ τἆλλα. *quasi dicat: si moderatè fert honores, quod permirum videtur, cùm honores sint maxima externorum bonorum, moderatius multò feret opes, potentiam, & huiuscemodi alia, quæ honoris gratia expetuntur.*

οὐ μόνον δ' ἐξ ἄλλου γένους ἔστιν ἀνασκευάζειν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, λαμβάνοντα τὸ μάλιστα τοιοῦτον. οἷον εἰ κεῖται ἐπιστήμη τις ἀγαθόν, δειχθείη δ' ὅτι φρόνησις οὐκ ἀγαθόν, οὐδ' ἄλλη οὐδεμία ἔσται, ἐπεὶ οὐδ' ἡ μάλιστα δοκοῦσα.

Non solùm autem ex alio genere licet refellere, sed etiam ex eodem, si quis sumat, quod sit maximè tale: vt si aliqua scientia

bonum esse ponitur, prudentia autem bonum non esse ostenditur, nec ulla etiam alia erit, quippe cùm ne ea quidem, quæ maximè videatur.

73 Locum, qui ex maiore appellatur, & ad refellendum vim habet, non solùm in diuersis generibus tractari posse, vt antea dixit, sed etiam in eodem, docet: quod & nos pluribus exemplis positis iam demonstrauimus. ¶ In exemplo autem quod hic affertur, illud communiter pronunciauit, *vt si aliqua scientia bonum esse ponitur, prudentia autem bonum non esse ostenditur*, perinde ac virtutes sine scientiæ. Sed non minus accōmodatum exemplum erit, si quis virtutes eò non esse scientias ostendat, quòd ne prudentia quidem, quę ex virtutibus maximè videtur scientia. ¶ Verba autem quę ab ipso ponuntur, idem valent ac si dicatur: si quęratur, sit ne aliqua scientia bonum, hoc est, sit ne aliqua virtus bonum; & illa scientia, hoc est illa virtus, quæ maximè videtur bonum, bonum non esse demonstretur: ne vlla quidem alia virtus bonum erit.

Ἔτι δὲ ἐξ ὑποθέσεως ὁμοίως ἀξιώσαντα, εἰ ἑνὶ, καὶ πᾶσιν ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν. οἷον εἰ τοῦ ἀνθρώπου ἡ ψυχὴ ἀθάνατος, καὶ τὰς ἄλλας· εἰ δὲ αὕτη μὴ, μηδὲ τὰς ἄλλας. εἰ μὲν οὖν ὑπάρχειν τινὶ κεῖται, δεικτέον ὅτι οὐχ ὑπάρχει τινί: ἀκολουθήσει γὰρ διὰ τὴν ὑπόθεσιν τὸ μηδενὶ ὑπάρχειν. εἰ δὲ τινὶ μὴ ὑπάρχειν κεῖται, δεικτέον ὅτι ὑπάρχει τινί: καὶ γὰρ οὕτως ἀκολουθήσει τὸ πᾶσιν ὑπάρχειν. δῆλον δ' ἐστὶν, ὅτι ὁ ὑποτιθέμενος ποιεῖ τὸ πρόβλημα καθόλου ἐπὶ μέρους τεθέν. τὸν γὰρ ἐπὶ μέρους ὁμολογοῦντα, καθόλου ἀξιοῖ ὁμολογεῖν, ἐπειδὴ εἰ ἑνὶ, καὶ πᾶσιν ὁμοίως ἀξιοῖ ὑπάρχειν.

Præterea ex hypothesi, si enuncietur, pari ratione si cui conueniat, etiam omnibus conuenire, aut non conuenire: vt si hominis animus sit immortalis, etiam ceterorum: quòd si non hic, ne ceterorum quidem esse. Si igitur res alicui conuenire ponatur, eam alicui non conuenire, docendum est: nam ex hypothesi sequetur, nulli conuenire. Quòd si alicui nō conuenire ponatur, eam alicui conuenire, monstrandum est: quandoquidem & sic sequetur, conuenire omnibus: Illud autem perspicuum est, eū qui hypothesi vtatur, quæstionem efficere generalem, cùm fuerit in parte posita: illū enim vult qui partem concedat, totū etiam concedere; siquidem si vni, pari ratione æquum putat cōuenire omnibus.

74 Cùm suprà, quinā loci[a] priuatis ac singularibus quæstionibus apti essent, exponeret, primùm quidem docuit, quęstiones quæ in parte generis afferūtur, per eosdem locos probari vel reprehendi, per quos vniuersas, quòd illæ in his includantur: deinde verò locos eos recensuit, qui eandem in singulis quæstionibus, ac in vniuersis, probabilitatis rationem habent; & ostendit, posse nos ex iis pariter ad vtrūque genus argumenta sumere. His ita explicatis, eum qui ex hypothesi appellatur, nunc exponit: quem & ipsum non minus in singulares, quàm in vniuersas quæstiones conuenire demonstrat. Vtendum est igitur (inquit) loco qui ab hypothesi sumitur, in quæstionibus quæ de parte generis proponuntur: sed quis sit locus ex hypothesi, declarauit ipse, cum addidit: *si enuncietur, pari ratione si cui conueniat, etiam omnibus conuenire*, [b] *aut non conuenire*: hic enim locus tùm ad confirmandū, tùm ad refellendū vim habet. Si quæratur igitur, sitne omnis animus immortalis: quæstio generalis erit & vniuersa, nosque locum ex hypothesi adhibebimus, enunciando, si vnus esse ostendatur, etiam ceteros eodem

a Sic videtur interpretari vocem καθ' ἕκαστα, vel τὸ ἐπὶ μέρους Cicero in III. lib. de Oratore, cum inquit. Ornatissimæ sunt igitur orationes eæ, quæ latissimè vagantur, et à priuata ac singulari controuersia se ad vniuersi generis vim explicandam conferunt & cōuertunt: & cet.

b ἢ μὴ ὑπάρχειν. hæc verba restituimus, quæ manifestò in Græco cod. etiam manuscripto, desiderabātur, ut, quæ sequūtur, declarāt.

demmodo ſe habere. quare ſi hominis animū immortalem eſſe probauerimus, id vi hypotheſis erit etiam de ceteris à nobis probatum. Quòd ſi refellere volumus, ſi vnum immortalem non eſſe ſumpſerimus, ne ceteri quidem erunt. ergo cùm hominis animum, aut aliquem alium, non eſſe immortalem oſtenderimus, ne ceteros quidem eſſe, generatim atque vniuersè à nobis oſtenſum erit. Sed ſi quæratur,[c] ſitne aliquis animus, vtputa hominis, immortalis: quæſtio erit in parte generis, nos autem ſimiliter loco ex hypotheſi vtemur. Quare ſi[d] ſumamus, ſi aliquis ſit īmortalis, omnes etiā alios īmortales eſſe; aliquē verò eſſe īmortalē probemus, atq; ex hoc omnes alios īmortales eſſe ſumamus: animum quoq; hominis eſſe īmortalē probauerimus, cuius cōtrariū in quæſtione poſitū erat. Quòd ſi cōtrà oſtendamus, aliquē nō eſſe īmortalē, nec vllum etiā aliū immortalem eſſe, habebimus: ex quo colligemus, ne hominis quidem, de quo quærebatur. ¶ Perſpicuum autem eſt, eum qui ita demonſtrat, neceſſariò de vniuerſo genere rem demonſtrare, quamuis in parte generis quæſtio allata ſit: neque enim aliter vti licet argumento ab hypotheſi ducto, cùm enunciare oporteat, ſi cui conueniat, etiam omnibus pari ratione cōuenire. [*Si igitur res alicui conuenire ponatur*: id, quod his verbis traditur, eiuſmodi eſt. Si, quod refellere volumus, affirmans in parte ponatur: tunc eniti debemus, vt, loco ex hypotheſi vtentes, alicui non conuenire oſtendamus; cùm ſcilicet id prius petiuerimus, vt, ſi alicui non conuenire oſtendatur, ne vlli quidem, oſtenſum ſit: ex quo illud tolletur, alicui conuenire, quod tollere inſtituimus. Quòd ſi alicui non conuenire ponatur: contrà faciendum eſt, vt ſcilicet id, quod in parte affirmat, comprobemus, & ex eo hypotheſis vi ſumamus, conuenire omnibus: ex quo illud euertetur, alicui non conuenire. ¶ Illud verò quod adiunxit, *perſpicuum autem eſt eum qui hypotheſi vtatur, quæſtionem efficere generalem, cùm fuerit in parte poſita*, idem valet ac ſi dicatur: is qui hypotheſi vtitur, hypotheſis vi ex partibus generis genus vniuerſum demonſtrat, quamuis propoſitum ſit partem refellere, cùm quæſtio in parte allata eſſet.

c εἰ ἡ ψυχή τις ἀθάνατος· *ſic legendum eſt, ut nemo non videt, et ut cod. Med. confirmat.*

d Sumere, ut apud Græcos λαμβάνειν, ualet ponere aliquid ſibi, & ſuo quaſi iure tanquā firmū certumque ſumere. Lucret. li. V. Illud in his rebus ne arripuiſſe rearis Memmi, quòd terrā atque ignem mortalis ſumpſi Eſſe. hinc ſumptiones apud M. T. ideſt λήμματα.

Ἀδιορίστου μὲν οὖν ὄντος τοῦ προβλήματος, μοναχῶς ἀνασκευάζειν ἐνδέχεται. οἷον εἴ τις ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, ἢ μὴ ἀγαθόν, καὶ μηδὲν ἄλλο προσδιώρισεν. εἰ μὲν γὰρ τινὰ ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, δεικτέον καθόλου ὅτι οὐδεμία, εἰ μέλλει ἀναιρεῖσθαι τὸ προκείμενον. ὁμοίως δὲ καὶ εἴ τινα ἡδονὴν ἔφησε μὴ εἶναι ἀγαθόν, δεικτέον καθόλου ὅτι πᾶσα. ἄλλως δ' οὐκ ἐνδέχεται ἀναιρεῖν. ἐὰν γὰρ δείξωμεν, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν, οὔπω ἀναιρεῖται τὸ προκείμενον. δῆλον οὖν, ὅτι ἀναιρεῖν μὲν μοναχῶς ἐνδέχεται, κατασκευάζειν δὲ διχῶς. ἄντε γὰρ καθόλου δείξωμεν, ὅτι πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθόν, ἄντε ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ ἀγαθόν, δεδειγμένον ἔσται τὸ προκείμενον. ὁμοίως δὲ κἂν δέῃ διαλεχθῆναι, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν, ἐὰν δείξωμεν ὅτι οὐδεμία ἀγαθόν, ἢ ὅτι τὶς οὐκ ἀγαθόν, διειλεγμένοι ἐσόμεθα ἀμφοτέρως, καὶ καθόλου, καὶ ἐπὶ μέρους, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν.

Cum autem quæſtio fuerit interminata, vno modo refelli poterit; vt ſiquis voluptatem bonum eſſe dixerit, aut non eſſe bonum, neque aliud præterea quicquam addiderit. Nam ſi voluptatem aliquam bonum eſſe dixerit, nullam eſſe omnino probandum eſt, ſi res propoſita debet euerti. Item, ſi voluptatem aliquam nō eſſe bonum enunciarit, generatim atque vniuersè mōſtrandum eſt, omnem eſſe. Aliter autem non licet euertere: nam ſi voluptatem aliquā non eſſe bonum, aut[a] eſſe doceamus, non dum propoſita res euerſa eſt. Conſtat igitur, rem infirmari vno

a Hoc abūdat, vt Alex. in ſuo cōment. teſtatur.

modo posse, confirmari duobus. Siue enim generaliter ostendamus omnem voluptatem esse bonum, siue aliquam, res proposita confirmata erit. Itemque, si opus sit probare, voluptatem aliquã nõ esse bonum: si nullam esse, aut aliquam non esse doceamus, vtroque modo erit à nobis probatum, & generaliter, & ex parte, voluptatem aliquã non esse bonum.

75 Hæc quoque, quę nunc traduntur, ad quæstiones de parte generis pertinẽt: nam ex iis aliquæ simpliciter ac interminatè proponuntur, aliquæ cum terminatione quadam, aut etiam cum pluribus. Ostendit igitur, quomodo quæstiones de parte generis, tùm interminatæ, tùm terminatæ, infirmari possint & cõfirmari; atque ex posterioribus, quomodo quę sunt minus terminatæ, & quo modo quæ magis: quæ verò sũt interminatę, eas facilius cõfirmari posse, quàm infirmari, declarat. Iure optimo autem in tractandis iis, quæ ad accidens pertinent, quæstiones quoque de parte generis persecutus est: nam, vt iam sæpius dictum fuit, quęstiones de parte, in solo accidente maximè locum habent. ¶ Quæstiones autem de parte generis interminatę, sunt exempli gratia hę: affirmans quidem, Aliqua voluptas bonum, negans verò, Aliqua voluptas non bonum: nã illa quæstio, Intemperantis voluptas bonum, est quidem de parte ac singularis, sed quia sic terminatur ac definitur, est de parte non simpliciter allata. His autem [a] propositionibus vtitur, Aliqua voluptas bonum, & Aliqua voluptas non bonum, perinde ac prior idem atque illa valeat, Voluptas bonum, quę propriè interminata dicitur, & posterior idem atque illa, Voluptas non bonum: ob id enim & hæ quæ in parte, sunt interminatæ, quòd æquè ac illę valent, quæ propriè interminatæ nuncupantur. Quare cùm prius dixisset, *vt si quis voluptatem bonum esse dixerit, aut non esse bonum*; postea sumpsit, aliquam voluptatem esse bonum, quasi hoc idem sit atque illud, voluptatem esse bonum; & aliquam voluptatem non esse bonum, proinde quasi hoc idem valeat atque illud, voluptatem non esse bonum: inquit enim: *Item, si voluptatem aliquam non esse bonum enunciarit*. Atque hæ quidem sunt propositiones seu quæstiones de parte generis interminatę & infinitæ: & quia terminatum ac definitum non est, vtrum ob genus vniuersum, an per se ipsas intelligantur, idcirco ponunt id quod est in parte. Terminatas autem in parte eas appellat, quę aut aliquã voluptatem esse bonum, aliquã non esse, aut solam voluptatem quæ ex contemplatione capitur, esse bonum, enunciant. [Hę igitur differentię cùm in quæstionibus de parte generis reperiantur, primùm de interminata verba facit, & inquit eam infirmari quidem vno modo posse, confirmari duobus. Nam quæ ponit aliquã voluptatẽ esse bonum, eam hoc vno modo conuellere licet, si vniuersè ostendamus, nullã voluptatem bonum: qui enim aliquam voluptatem non esse bonum demõstrat, non tollit, quin aliqua voluptas sit bonum, cùm illa ostensa possit etiam hęc esse vera. Pari quoque ratione illam, quæ ponit aliquam voluptatem non esse bonum, vnico tantùm modo labefactare possumus, si scilicet ostendamus, omnẽ voluptatem esse bonum: neque enim qui voluptatem aliquam bonum esse ostendit, iam & illud euertit, aliquam non esse bonum. Ipse autem Aristoteles cùm de propositione quæ in parte negat, dixisset, eam illa sola quæ in vniuersum affirmat, euertit, addidit: *nam si voluptatem aliquam non esse bonum doceamus, nondum proposita res euersa est*. hoc verò quod dicit, de illa quæ in parte affirmat, intelligit, de qua prius locutus erat. Simile autem quiddam de ea non af-

a *Locum in Græco cod. mendosum quibus verbis potuimus, expressimus.*

fert, quæ in parte negat, ostendens illam ea non destrui, quæ in parte affirmat: quasi hoc perspicuum factum esset ex eo, quod de affirmante in parte tradiderat. [Confirmari autem vtramque quęstionem, quæ sic in parte generis proponatur, duobus modis posse testatur: siue enim generaliter ostendamus omnẽ voluptatem esse bonum, siue priuatim aliquã, vtroque modo quæ in parte affirmat, à nobis confirmata erit. Similiter autem & quæ in parte negat, cõfirmabitur, cùm scilicet si doceatur nullam voluptatem esse bonũ (nam si nulla, ne aliqua quidem) tùm etiam si aliqua non erit bonum: vtroque enim modo demonstratur, aliquam voluptatem non esse bonum.

Διωρισμένης δὲ τῆς θέσεως οὔσης, διχῶς ἀναιρεῖν ἔσται. οἷον εἰ τεθείη τινὶ μὲν * ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, τινὶ δὲ οὐ. εἴτε γὰρ πᾶσα δειχθείη ἡδονὴ ἀγαθὸν, εἴτε μηδεμία, ἀνῃρημένον ἔσται τὸ προκείμενον. εἰ δὲ μίαν μόνην ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, τριχῶς ἐνδέχεται ἀναιρεῖν. δείξαντες γὰρ ὅτι πᾶσα, ἢ ὅτι οὐδεμία, ἢ ὅτι πλείους μιᾶς ἀγαθὸν, ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸ προκείμενον. ἐπὶ πλεῖον δὲ τῆς θέσεως διορισθείσης, οἷον ὅτι ἡ φρόνησις μόνη τῶν ἀρετῶν ἐπιστήμη, τετραχῶς ἔστιν ἀναιρεῖν. δειχθέντος γὰρ, ὅτι πᾶσα ἀρετὴ ἐπιστήμη, ἢ ὅτι οὐδεμία, ἢ ὅτι καὶ ἄλλη τις, οἷον ἡ δικαιοσύνη, ἢ ὅτι αὐτὴ ἡ φρόνησις οὐκ ἐπιστήμη, ἀνῃρημένον ἔσται τὸ προκείμενον.

* *Sic habent antiqua exẽplaria: quæ lectio videtur esse politior & elegãtior, eamque sequitur vetus interpres.*

Quòd si thesis sit terminata, duobus modis euerti poterit: vt siquis posuerit aliquam voluptatem esse bonum, aliquã nõ esse: siue enim doceatur, omnem voluptatem esse bonum, siue nullã, res proposita euersa erit. Quòd si vnam tantummodo voluptatem bonum esse dixerit, tribus modis eam confutare licet: nam si doceamus, vel omnem voluptatem esse bonum, vel nullam, vel plures vna, id quod propositum fuit, à nobis confutatũ erit. Si verò thesis magis sit terminata, vt prudentiam solam ex virtutibus esse scientiam, quattuor modis labefactari poterit: nã si doceatur, aut omnem virtutem esse scientiã, aut nullã, aut etiã aliã quãpiã, verbi causa iustitiam, aut ne ipsam quidem prudentiam esse scientiam, labefactatum erit id quod propositum fuit.

76 Quæstionem appellat thesim, idest propositum. inquit autem, si quæstio sit terminata, hoc est, si in quæstione huiusmodi sit terminatio, nũ aliqua voluptas bonum, aliqua non bonum. Sed illud mihi videtur addidisse, *aliqua non bonum*, non vt id omnino debeat in propositione poni, sed vt indicet, propositionem in parte non esse per se veram solùm, sed ob vniuersam, cui subiicitur, neque in terminatè & infinitè: nam si duę propositiones essent positæ, vna duobus modis non euerteretur: sed cùm duæ essent, eæ à duabus tollerentur, affirmans quidem ab illa, quæ in vniuersum affirmat; negans verò ab illa, quę in vniuersum negat. Duobus igitur modis (inquit) euerti potest quæstio de parte generis sic terminata ac definita: siue enim doceatur omnem voluptatem esse bonum, siue nullam, tollitur illud quod dicitur, aliquam esse, aliquam non esse; nam si nulla sit, non potest aliqua quidem esse, aliqua autem non esse. [Quòd si ita sit terminata, num vna tantùm voluptas bonũ, tribus modis refutari poterit: siue enim omnis voluptas bonum esse ostendatur, siue nulla, euertitur id quod dicitur, vnam tantùm esse; nam si nulla sit bonum, ne vna quidem tantummodo erit: prę terea si plures quàm vnã bonum esse ostendamus, hoc etiam modo eãdem quæstionẽ profligabimus. [Si autem quæstio de parte generis magis sit terminata,

possunt, si paulum, dum pronunciantur, immutentur. Exempli gratia, quod natura tale est, eo, quod non natura sit tale, est magis tale. Item, si id quod præditum est, cùm ei alterutrum adfuerit, ab altero efficiatur tale, ab altero minimè: illud, à quo efficitur, magis tale erit, quàm id, à quo nõ efficitur. quòd si ab vtroque efficitur, illud, à quo magis tale efficitur.

63 Hactenus de eo, quod magis est aut maius, & omninò de iis quæ in contentionem vocantur, locos nobis exposuit in certa ac peculiari materia, nempe in eo, quod dicimus esse expetẽdũ. In omnibus enĩ qui ab ipso cõmemorati sunt, hoc modo de rebus fiebat cõtẽtio:[f] nam loci, si ĩ certa & definita materia exponũtur, facilius apprehendũtur: verbi gratia si ita dicamus, quod sua natura expetendum est, bonum est; valetudo autem sua ui & natura expetenda est: ergo naturale bonum est. sunt autem nonnulla sua ui & natura expetenda, quę nõ omninò sunt bona: [a] exempli gratia; valetudo igitur bonum est, quæ, vt diximus, prima efficitur propositio. Verùm quia comparatio non ex eo tantùm fit, quod dicimus esse expetendum: optima ratione & via his, quæ subdit, verbis nos docet, quomodo his ipsis locis generaliter, & ad omnia alia, ex quibus fit comparatio, vti possimus. Nam cùm magis, quod cõparatè accipitur, nõ de bonis tãtũ & malis, seu de rebus expetendis & fugiendis vsurpetur, verùm etiã de aliis, [a] vt de calido & frigido, albo & nigro, & huiuscemodi multis; similiter & maius, nõ de bonis & malis dũtaxat, sed etiã de aliis, præsertim quidẽ de magnitudinibus, tùm de numeris & põderibus, ac de aliis sexcẽtis, quorũ cõparatio fieri solet ex eo, quod fit maius: locos cõparationis, quos intellexit, cũ addidit illa verba. *de eo, quod magis est aut maius*, quàm maximè generales sumendos esse inquit: nã si hoc modo sumãtur, ad plura cõcludẽda valebũt, & nõ ad illa dũtaxat, quę sint expetẽda aut fugiẽda, ad quæ hactenus iis vsi sumus. ¶ Hoc ita tradito, qua ratione loci, qui commemorati sunt, generales effici queant, exponit. Ergo si paulum, dum traduntur, à nobis immutentur, hoc est, si id quod communius est, pro eo quod speciatim ponitur, substituatur: eueniet id quod dictum est. quomodo autem id fiat, exemplis in aliquot locis declarat. In primis igitur [b] tradebatur, illud, quod natura bonum sit, magis expetendum esse eo, quod non natura: atque ita hic locus ad solam bonorum inter se comparationem faciendam nobis vtilis est. Verùm quia non solùm id, quod natura bonum sit, eo quod non natura, magis bonum est magisque expetendum, sed etiam quod natura fugiendum, eo quod non natura, magis fugiendum est; & quod natura candidum, eo quod non natura, candidius; eademque ratio valet in eo quod sit salubre, aut dulce, aut alio simili modo affectum: profectò si pro eo quod est, natura bonum, dicamus, quod natura tale est, eo quod nõ natura sit tale, est magis tale; & locum generalem efficiemus, & illo ad omnia vti poterimus, in quibus id quod natura dicitur, & id quod non natura, reperiantur: nam si ita locus ponatur, omnia concessa erunt. [c Ponatur præterea, illud quod sua pręsentia bonos efficit, eo quod non efficit, magis expetendum esse. Itaque si loco huius quod speciatim ponitur, sumamus, illud, à quo id quod ipso præditum sit, efficitur tale, magis tale est quàm illud, à quo non efficitur: cùm locum generalẽ reddemus, tùm etiam illo ad multa alia vti poterimus. Aristoteles autem locũ hunc ita exposuit: si alterum cum adsuerit, efficiat id quod ipso præditum sit, tale, alterum non efficiat: illud quod efficit, magis tale erit quàm id, quod non efficit. Atque ita quod calidum efficit, calidius est, quàm quod non efficit; & quod dulce, aut honestum, aut iucundum reddit, magis tale est, quàm quod non reddit. Quòd

[f] *vide pagina 5.*

[a] *οἷον, ἀγαθὸν ἄρα ἡ ὑγίεια. Locum hunc mutilatum sine ope alicuius melioris codicis restituere me non posse ingenuè fateor.*

[a] *Ex auctoritate codicis Med. hic nonnulla restituimus, quæ sine dubio in impresso desiderabantur.*

[b] *Comm. x.*

[c] *Comm. 46.*

[d Quòd si ambo illud ipsum tale efficiunt: quod magis efficit, magis etiam tale est: vt si ambo efficiunt id, quod ipsis præditum sit, aut dulce, aut calidũ, aut bonum, aut maius. Mutatio igitur in id, quod sit maximè generale, nempe in vocabulum, tale, communiorem longèque vtiliorem locum reddidit.

d *Comm. 46.*

Ἔτι εἰ τῷ αὐτῷ τινος τὸ μὲν μᾶλλον, τὸ δὲ ἧττον τοιοῦτον.

Præterea, si vno & eodem alterum sit magis tale, alterũ minus.

Non sunt in exemplari Abb. Floren. hi duo loci proximi.

64 Eiusmodi quendam locum [a] antea tradidit. si quo bono vnum maius bonũ sit, alterum minus, maius magis expetendum est. atque ita bona corporis habitudo magis expetenda est diuitiis, quòd illa magis expetẽda sit valetudine, hæ autem minus. Quomodo igitur & hunc locum, dum illum exponimus & pronunciamus, generaliorem efficere possimus, ipse docet: nimirum si ita dicamus: si vno & eodem alterum sit magis tale, alterum minus, illud, quod eo ipso magis est tale, est etiam magis tale quàm alterũ. Locus igitur generalis erit, si pro voce bonum, accipiamus uocabulum, tale: nam si ita ponatur, tunc nobis licebit ostẽdere, aliud maius esse quàm aliud, vel plus, vel calidius, vel dulcius, vel omninò horum simile, propterea quòd vocabulum, tale, his omnibus accommodatur.

a *Comm. 48.*

Καὶ εἰ τὸ μὲν τοιούτου μᾶλλον τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτως τοιοῦτον, δῆλον, ὅτι τὸ πρῶτον ῥηθὲν μᾶλλον τοιοῦτον.

Et si alterum tali sit magis tale, alterum autem non ita tale: illud, quod primum positum est, esse magis tale, constat.

65 Locus ita se habebat. si alterum aliquo bono sit maius bonum, alterum autem bonum quidem sit, sed nullo tamẽ bono maius: illud, quod aliquo bono sit maius bonum, magis expetendum est. Locus autem, quem hic exponit, generalis est & vniuersus: illius namque ope probare possumus, aliud alio calidius esse, vel dulcius, atque alia sexcenta, propterea quòd vocabulum, tale, [a] nõ solùm iis quę sint expetenda, sed etiam aliis multis accommodatur. Videtur autem hic locus diuersus esse ab iis, qui expositi sunt, si quis eum ita accipiat: nam calidum, si magis calido sit calidius, magis est calidum: itemque, quod dulcius sit magis dulci: similisque ratio valet in frigido, amaro, & huiuscemodi aliis.

a *καὶ μὴ τοῖς αἱρετοῖς μόνοις. sic legendum est, non εἰ μὴ τοῖς, ut et cod. Med. habet.*

ADNOTATIONES.

Et si alterum tali sit magis tale] *Nullum talem locum, qualem intelligit Alexander in suo commentario, exposuit nobis adhuc Aristoteles, si ii percurrantur. quare ego, si ita legatur in Græco codice, καὶ εἰ τὸ μὲν μᾶλλον τοιούτου τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτου τοιοῦτον, & cet. referrem hæc verba ad locum 46, vbi dicebatur: ἢ εἰ τὸ βέλτιον καὶ κυριώτερον ποιεῖ ἀγαθόν· οἷον εἰ τὸ μὲν τὴν ψυχὴν, τὸ δὲ τὸ σῶμα: idem enim videtur vtrobique significari. Quòd si hanc scripturam, quam & codex Med. et nonnulli alii habent, et quam ego vt integriorem secutus sum, tueri volumus; καὶ εἰ τὸ μὲν τοιούτου μᾶλλον τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτως τοιοῦτον: ita hæc verba accipienda erunt, vt respondeant loco 49, cum tradebatur: ἀλλὰ καὶ εἰ δύο τινὰ τινὸς εἴη αἱρετώτερα, τὸ μᾶλλον αἱρετώτερον τοῦ ἧττον αἱρετωτέρου αἱρετώτερον. In hanc certè sententiã propensior sum, præsertim cùm videam locum hunc, & proximum superiorem, coniunctim quoque hic tradi, quemadmodum & antea, vbi eos philosophus exponebat.*

Ἔτι ἐκ τῆς προσθέσεως, εἰ τῷ αὐτῷ προστιθέμενόν τι, τὸ ὅλον μᾶλλον ποιεῖ τοιοῦτον. καὶ εἰ τῷ ἧττον τοιούτῳ προστιθέμενον, τὸ ὅλον μᾶλλον ποιεῖ τοιοῦτον.

Præterea ex adiunctione, si eidem rei aliquid adiungatur, totumque magis tale efficiat. Et si rei minus tali aliquid adiungatur, totumque magis tale reddat.

a Com. 52, & 53.

66 Quò & loci ab adiūctione ac detractione sūpti, quos iā exposuit, generaliores cōmunioresq; effici possint, ostendit. Loci igitur ab adiunctione, quos [a] exposuit, erant hi: si eidem rei aliquid adiungatur, totumque optabilius efficiat: item, si quid minori adiunctum, totum maius reddat. In quos autem eos nūc vertit, eiusmodi sunt: si eidem rei aliquid adiūgatur, totumque magis tale efficiat; nam hæc vox, magis tale, generalior est quàm illa, optabilius, quippe quæ rei candidæ, dulci, malæ, & huius generis aliis conueniat. Item, si rei minus tali aliquid adiungatur, totumque magis tale reddat: hæ namque voces, minus tale, & magis tale, communiores sunt quàm [b] illę, minus optabile, & magis optabile.

b τοῦ ἧττον αἱρετοῦ καὶ μᾶλλον αἱρετοῦ. Sic mendosum locum castigauimus: quod postea confirmauit cod. Med.

ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῆς ἀφαιρέσεως· οὗ γὰρ ἀφαιρεθέντος τὸ λειπόμενον ἧττον τοιοῦτον, αὐτὸ μᾶλλον τοιοῦτον.

Similique modo ex detractione: illud enim, quo detracto id quod restat, minus tale efficitur, magis tale est.

a Comm. 54.

67 Locus à detractione, qui ex eo, quod dicimus esse expetendum, [a] sumebatur, erat huiusmodi. illud, quo ab eadem re detracto, id quod restat, minus efficitur, maius est. In quem autem nunc mutatur, ita se habet. illud, quo detracto id quod restat, minus tale efficitur, magis tale est: hæ enim voces, minus tale & magis tale, communiores generalioresque sunt quàm illę, minus & maius, quibus superius vsus est. quare si ita locus ponatur, ad plura concludenda illo vti possumus.

Καὶ τὰ τοῖς ἐναντίοις ἀμιγέστερα, μᾶλλον τοιαῦτα· οἷον λευκότερον, τὸ τῷ μέλανι ἀμιγέστερον.

Et quæ contrariis sint minus admixta, magis talia sunt: uerbi gratia id candidius est, quod sit minus admixtum [c] nigrori.

c nigrorē, non nigredinē diximus, bonos Latini sermonis auctores secuti.

a Comm. 24.

68 Ille etiam locus, qui sumebat, bonum quod malo sit minus admixtum, magis expetendum esse eo, quod admixtum sit, in generaliorem conuertitur. Badē igitur bona [a] dicebat cum indolētia copulata, magis expetēda esse, quàm cū dolore: hic verò generaliter inquit, illa esse magis talia, quæ sint minus admixta contrariis. quare illud magis album est, quod sit minus admixtum contrario: eademque ratio est eius, quod dulce, aut iucūdum sit, & aliorum similium, si aliquid est iis contrarium. Potest verò etiam hic locus ex eo mutatus esse, qui in [b] postremis ponebatur, cum ipse aiebat: ex eo etiam argumenta sumuntur, si rem propositam æquè fugiendam ac expetendam esse ostendamus.

b Comm. 61.

ADNOTATIONES.

Et quæ contrariis sint minus admixta] Nulli ex ijs locis, quos refert Alexander, videntur mihi hæc verba respondere: ad locum autem 35 puto ea omnino pertinere, vbi hoc tradebatur: καὶ τὸ τοῖς κακοῖς ἀκοινωνητότερον: verbum enim ἀκοινωνητότερον, idem valere existimo, atque illud ἀμιγέστερον.

Ἔτι παρὰ τὰ εἰρημένα πρότερον, τὸ μᾶλλον ἐπιδεχόμενον τὸν οἰκεῖον τοῦ προκειμένου λόγον. οἷον εἰ τοῦ λευκοῦ ἐστὶ λόγος, χρῶμα διακριτικὸν ὄψεως, λευκότερον, ὅ ἐστι μᾶλλον χρῶμα διακριτικὸν ὄψεως.

Sed præter ea quæ antea dicta sunt, illud quod propriā propositæ rei definitionem sibi magis vendicat: verbi gratia, si candoris hæc sit definitio, color aspectum dissipās, is candidior color erit, qui magis aspectum dissipauerit.

69 Ad eos locos comparationis, qui expositi sunt, hunc modò adiungit, qui à definitione sumitur: eius enim, cùm de rerum expetendarum inter se comparatione

tione ageret, non meminit. Ergo quod propositæ rei definitionem sibi magis vendicat, magis tale est: magis quidem album, quod albedinis definitionem magis recipit, nempe is color, qui magis aspectum dissipat; etenim album est id, quod colore suo diffundit aspectum: magis autem dulce, quod dulcedinis definitionem magis obtinet: magis item ex his expetendum, quod rei expetendæ definitionem sibi magis adsciscit: similiter magis iucundum, quod iucunditatis seu voluptatis. Hunc autem locum inter eos, qui aliquid magis expetendum esse demonstrāt, idcircò fortasse non exposuit, quòd neque eius, quod dicimus esse expetendum, neque boni, vna est definitio: bona namque, & illa quę sunt expetenda, numerantur in iis, quæ multis modis dicuntur.

Ἂν δ' ἐπὶ μέρους, καὶ μὴ καθόλου τὸ πρόβλημα τεθῇ, πρῶτον μὲν οἱ εἰρημένοι καθόλου ἢ κατασκευαστικοὶ, ἢ ἀνασκευαστικοὶ τόποι πάντες χρήσιμοι. [a] καθόλου γὰρ ἀναιροῦντες ἢ κατασκευάζοντες, καὶ ἐπὶ μέρους δείκνυμεν. εἰ γὰρ παντὶ ὑπάρχει, καὶ τινὶ, καὶ εἰ μηδενὶ, οὐδὲ τινί. μάλιστα δ' ἐπίκαιροι καὶ κοινοὶ τῶν τόπων, οἵ τε ἐκ τῶν ἀντικειμένων, καὶ τῶν συστοίχων, καὶ τῶν πτώσεων. ὁμοίως γὰρ ἔνδοξον τὸ ἀξιῶσαι, εἰ πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθὸν, καὶ λύπην πᾶσαν εἶναι κακὸν, τῷ εἴ τις ἡδονὴ ἀγαθὸν, καὶ λύπην εἶναί τινα κακόν. ἔτι εἴ τις αἴσθησις μὴ ἐστὶ δύναμις, καὶ ἀναισθησία τις, οὐκ ἔστιν ἀδυναμία. καὶ εἴ τι ὑποληπτὸν ἐπιστητὸν, ὑπόληψίς τις ἐπιστήμη. πάλιν εἴ τι τῶν ἀδίκων ἀγαθὸν, καὶ τῶν δικαίων τι κακόν. καὶ εἴ τι τῶν ἀδίκως κακὸν, καὶ τῶν δικαίως τι ἀγαθόν. καὶ εἴ τι τῶν ἀδίκως κακὸν, καὶ τῶν ἀδίκων τι κακόν. καὶ εἴ τι τῶν ἡδέων φευκτὸν, καὶ ἡδονή τις φευκτόν. κατὰ ταυτὰ δὲ καὶ εἴ τι τῶν ἡδέων ὠφέλιμον, καὶ ἡδονή τις ἀγαθόν.

a *hoc expressit M.Tul. cum in lib. de perfecto Ora. inquit. Latius.n. de genere, quàm de parte disceptare licet: Vt quod in vniuerso sit probatū, id in parte sit probari necesse.*

Quòd si quæstio non in toto genere, sed in parte ponatur, primùm quidem vtiles sunt loci omnes generales ad confirmādum vel refellendum idonei, quos exposuimus. Siquid enim in toto genere vel euertendo vel cōfirmando probamus, id etiā in parte probari necesse est: nam si aliquid omni conuenit, etiā alicui; & si nulli, nec item alicui. Maximè autem opportuni communesque loci sunt ii, qui ex contrariis, & ex coniugatis, & ex casibus sumuntur. Aequè enim probabile est enūciare, si omnis voluptas sit bonum, etiā dolorem omnem esse malum, ac, siqua voluptas sit bonum, etiam dolorem aliquem esse malum. Præterea, siquis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus ortas erit imbecillitas. Quòd si aliquid opinabile potest sciri, aliqua etiam opinio erit scientia. Itemque, siquid iniustū sit bonū, aliquid etiam iustum erit malum: & siquid eorum quæ iniustè fiunt, malum est, aliquid etiā eorum quæ iustè fiunt, erit bonū: & siquid eorum quæ iniustè fiunt, malum est, aliquid etiā iniustum erit malum. Et siquid iucūdum sit fugiendum, aliqua etiā iucunditas erit fugienda: eodemque modo siquid iucūdum sit vtile, aliqua etiam iucunditas erit bonum.

70 Postquàm in secundo libro & in hoc tertio egit de quæstionibus generalibus, quæ ad accidens referūtur, vel cum [b] simpliciter aliquid in iis quæritur, vel cum comparatè; &, qui loci ad illas accommodati sint, explicauit: nunc de quæstionibus comparationis non amplius loquitur, sed illud agit vt ostendat, quomodo locis iis qui traditi sunt, ad confirmandas vel refellēdas quæstiones, quæ non in toto genere, sed in parte generis afferuntur, vti possimus. Primùm verò id docet, quod & initio secundi libri admonuit, locos generales non solùm

b *Sic & M.Tullius in Topicis.*

ad quæstiones de genere vtiles esse, sed etiam ad illas de parte: per quem enim locum comprobatur genus, per eundem etiam comprobantur partes; & per quem genus refellitur, per eundem refelluntur & partes. Ergo si quęstio de parte proposita sit, loci generales ad illam vtiles erunt: nam si quęratur, sit ne hęc voluptas bonum, qui probauit omnem voluptatem esse bonum, probauit etiã hoc de illa, quæ in quęstionem vocatur. quòd si propositum sit ad demonstrandum, quandam voluptatem non esse bonum: qui nullam probauit, ne hãc quidẽ quæ proponitur, bonum esse, demonstrat. Hac autem de re meminit etiam, vt dixi, initio secundi libri, cum inquit. *Quæ generaliter ad confirmandum vel infirmandum valent, communia sunt vtrique quæstionum generi*: nunc verò de illa apertius explicauit. [Cùm autem dixisset, locos omnes generales ad quæstiones etiã de parte accommodari, quòd omne id quod in toto genere probatur, in partibus quoque quę sub illo continentur, probetur: maximè opportunos cõmunesque locos ad quæstiones tùm de genere tùm de parte generis confirmandas vel refellendas eos esse inquit, qui ex contrariis, & ex coniugatis, & ex casibus sumantur. Neque enim omnia, quæ in parte proponuntur, generum vniuersorũ ope probari possunt: propterea quòd singula quędã reperiuntur, quę per se vera sunt vel falsa, ita vt ad illorum confirmationem propriis quibusdam locis opus sit. Ad probandum verbi gratia, aliquem hominem esse musicum, non possumus ea propositione vti, quòd omnis homo sit musicus; quandoquidem hoc verum non est: nec item ad ostendendum, aliquem nõ esse grãmaticum, ea, quòd nemo. ¶Quoniam verò quatuor sunt e contrariorum genera: in vnoquoque genere pręter quàm in eo, quod ex contradictione appellatur, ostendit, vnum & eundem locum similiter in quæstionem de parte generis, atque in eam de toto genere conuenire, transferendo de hac in illam argumentum: id autem in iis, quæ aduersa nominantur, primùm exponit. Aequè enim (inquit) probabile est, si quæratur sit ne omnis dolor malum, effari, si omnis voluptas sit bonum, etiã dolorem omnem esse malum, qui quidem est locus generalis ab aduersis sumptus, ac, si quæratur sit ne aliquis dolor malum, enunciare, si qua voluptas sit bonum, etiam dolorem aliquem esse malum. voluptas autẽ quę ex honestis actionibus capitur, bonum est; dolor, malum. Quamobrem si quęstio generalis sit, & quæratur sit ne omnis dolor malum, probabile est ex aduerso generaliter argumentari, hunc in modum: si omnis voluptas sit bonum, & omnis dolor erit malum. quòd si quæstio afferatur in parte, & quęratur, sit, nec ne sit aliquis dolor malum, nihil minus probabile est enunciare, si qua voluptas sit bonum, etiã dolorem aliquem esse malum. [Deinceps verò ostendit, locos sumptos ab illis contrariis, quæ priuantia appellantur, non minus quæstionibus de parte generis, quàm iis, quę in toto genere proponuntur, esse aptos: verùm de illis quidẽ mentionem facit, has autem silentio præterit, perinde ac de iis in superioribus locutus sit. Contraria verò quæ vocantur priuantia, sunt verbi causa sensus, & sensus d orbitas: loquens autem de quæstionibus quæ in parte generis afferuntur, inquit, si quis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus orbitas erit imbecillitas: nam si docere instituimus, alicuius sensus orbitatem non esse imbecillitatem, hoc concludemus, si sumamus aliquem sensum non esse facultatem. Quòd si propositum generale comprobare volumus, omnium sensuum orbitatem esse imbecillitatem: profectò si in habitu contrarium etiam generaliter sumamus, omnem sensum esse facultatem, omnium sensuum orbitatem imbecillitatem esse, à nobis probatum erit: ἀξίωσις enim, id est effatum, siue pronunciatum, similis est in vnoquoque problemate. Porrò autem si nobis ostendere

e Nos M. Tullium in Topicis secuti, ἀντικείμενα vertimus contraria, & τὰ ἐναντία, aduersa.

d Quemadmodum orbare aliquem sensibus, pro eo quod est ἀναίσθητον ποιεῖν, dixit Cicero in Lucullo, ita nos ἀναισθησίαν sẽsus orbitatem reddidimus.

statutũ

ftatutum effet, nullius fenfus orbitatem effe imbecillitatem; fumeremus nullũ fenfum facultatem effe: huic enim confequens eft exemplum illud quod adpofuit, fiquis fenfus non eft facultas, nec etiam alicuius fenfus orbitas erit imbecillitas: & fanè, cuius fenfus habitum facultatẽ non effe fumitur, illius nec etiã orbitas erit imbecillitas. [Poftremò affert exemplum eorum contrariorũ, quę cum aliquo conferuntur, fiue (fi placet ita vertere) ad aliud referuntur, atque in quęftione de parte generis demonftrat, poffe argumentum de toto genere in partem transferri. Si quæratur igitur, fit ne aliqua opinio fcientia, ex cõtrario ita quifpiam argumentationem conficiet: fi aliquid opinabile poteft fciri, aliqua etiam opinio erit fcientia: opinio enim rei opinabilis eft. Quòd fi quæftio effet generalis, & quęreretur num omnis opinio fit fcientia, fumeretur id quod opinioni contrarium eft, nempe opinabile in vniuerfum, ad hunc modũ: fi, quicquid opinabile eft, id etiam poteft fciri, & omnis opinio erit fcientia. [Eorum autem contrariorum, quæ aientia & negantia nuncupantur, non meminit, propterea quòd contradictio in partibus locum non habet: neque enim huic dicto, aliquid eft, aduerfatur illud, aliquid non eft, quòd repugnantia ex contradictione verfatur in generibus vniuerfis, atque in iis quæ vniuerfis generibus fubiecta illis aduerfantur. quapropter qui propofitionem quę vniuersè affirmat, in aliquo falfam effe oftendit, is eam quæ in parte negat, veram in illo effe demõftrat: contràque, qui hanc falfam demonftrat, illam veram oftendit. eademque ratio eft negationis vniuerfę, & affirmationis in parte. At qui affirmationem in parte falsã effe probat, is nõ idẽ hoc in negatione quę eft ĩ parte, probat, nifi quatenus hæc fub vniuerfa continetur: neque enim qui aliquem hominem muficum effe demonftrat, aliquem etiam non effe muficum demonftrat. ¶ Cùm autẽ de contrariis locutus effet, & quomodo iidem loci ad quęftiones de toto genere ac de parte generis, apti fint, oftendiffet: docet poftea, quâ ratione effici poffit, vt locus qui à cafibus fumitur, in quęftionem quoque de parte generis conueniat, & in illam incidat. Cafus igitur huius vocis, iuftum, eft, iuftè: quòd fi in parte quæratur, fit ne aliquid iniuftum bonum, à cafibus ita quifpiam argumentabitur: fiquid eorum quæ iniuftè fiunt, bonum eft, aliquid etiam iniuftũ erit bonum. Sed fi generatim atque vniuersè quęreretur, fit ne, quod iniuftum eft, bonũ, cafus fĩpliciter fumeretur, hũc ĩ modũ: fi, quod iniuftè fit, benè fit, & quod iniuftũ eft, bonũ eft: vt.n. in quæftione de parte generis fumitur id quod ĩ parte eft, fic in ea quæ de toto genere proponitur, genus vniuerfũ accipitur. [Deinde verò exponit, quomodo locus à cõiugatis ad eafdem quæftiones de parte generis accommodetur. Coniugata funt, fortitudo, fortis, fortiter, forte: itẽm, iucũditas, iucunditatem percipiens, iucũdè, iucundum, & huius generis omniá, quæ fcilicet inter fe ita fe habent, vt in fuperioribus dictum fuit. quare fi in parte quæratur, fit, necne fit aliqua iucunditas fugienda, à coniugato eiufmodi argumentum ducetur: fiquid iucundum fit fugiendum, & aliqua [e] iucunditas erit fugienda. eodemque modo, fiquid iucundum fit vtile, & aliqua iucũditas erit bonum: nam quod vtile eft, bonum eft. Quòd fi fimpliciter atque vniuersè de omni iucunditate quæreretur, fugiẽda ne fit: fimpliciter etiam atq; vniuersè fumeretur, fi omnia quæ iucunda funt, fugienda funt, & omnem iucunditatem fugiendam effe.

[e] καὶ ἡδονή τις φαυλόν. *ita ex cõiectura mẽdosũ locũ caftigaui, cùm cod. Med. ab impreffis nõ difcrepet.*

Καὶ ἐπὶ τῶν φθαρτικῶν δὲ, καὶ τῶν γενέσεων καὶ φθορῶν, ὡσαύτως. εἰ γὰρ τὸ φθαρτικὸν ἡδονῆς, ἢ ἐπιστήμης ὄν, ἀγαθόν ἐστι, εἴη ἄν τις ἡδονὴ ἢ ἐπιστήμη τῶν κακῶν. ὁμοίως δὲ καὶ εἰ φθορά τις ἐπιστήμης τῶν ἀγαθῶν, ἢ ἡ γένεσις τῶν κακῶν, ἔσται τις ἐπιστήμη τῶν κακῶν. οἷον εἰ τὸ ἐπιλανθάνεσθαι ἅ τις αἰσχρὰ ἔπραξε, τῶν ἀγαθῶν, ἢ τὸ ἀναμιμνήσκεσθαι τῶν

κακῶν, εἴη ἂν τὸ ἐπίστασθαι ἅ τις αἰσχρὰ ἔπραξε, τῶν κακῶν. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων· ἐν ἅπασι γὰρ ὁμοίως τὸ ἔνδοξον.

Simili quoque modo argumentandum est ab iis, quæ interimendi vim habent, adeoque ab ipsis tùm procreationibus, tùm interitibus. Siquid enim, quod voluptatis aut scientiæ interimendæ vim habet, bonum sit, aliqua voluptas aut scientia in malis erit. Itemque, si aliquis scientiæ interitus sit in bonis, aut procreatio in malis, aliqua scientia in malis erit: vt si obliuisci rerũ turpium, quas aliquis fecit, bonum sit, uel recordari malum, scire res turpes quas aliquis fecit, malum erit. Non secus se res habet in aliis, propterea quòd eadem ratio probabilitatis ualet in omnibus.

71 Locos sumptos ab iis quæ interimendi vim habent, adeoque ab ipsis tùm procreationibus tùm interitibus, non secus ac illos qui à contrariis, à casibus, & à coniugatis sumuntur, maximè opportunos cõmunesque esse inquit ad quæstiones de parte generis vel confirmandas vel refellendas: eademque probabilitatis ratio valet in illis, atque in iis quę de toto genere proponuntur. Vt enĩ generaliter probabile est, si omne id quod interimendæ voluptatis vim habet, bonum sit, omnem voluptatem esse malum: sic etiam probabile est, si, quod alicuius voluptatis interimendæ vim habet, bonum sit, aliquã voluptatem esse malum. Nam in proximo superiore libro statuebatur, quorum causæ interimentes sint in bonis, ea esse mala, & quorum illæ in malis, hæc bona: contrà verò in generantibus se rem habere. Idem autem in interitu, quod in causis interimentibus, contingit. Causa verò interimens scientię, est verbi gratia obliuio; interitus autem, ignoratio: & valetudinis causa interimens est, cibo ac potione repletio; interitus, ipse morbus. Eadem autem ratio valet in scientia: nam vt in vniuersum probabile est, si,[a] quod vim habet interimendæ sciẽtiæ, bonum sit, scientiã esse malum: sic etiam probabile est, si, quod alicuius scientiæ interimendæ vim habet, bonum sit, aliquam scientiam esse malum. Atque hæc quidem sint exempla loci, qui sumitur ab iis, quæ interimendi vim habent. [Locorum autem qui ab interitibus & procreationibus sumuntur, exempla quidem generalia eiusmodi erunt. si interitus scientię sit bonum, scientia erit malum: & si scientiæ procreatio sit in malis, scientia quoque in malis erit. Locus enim ab interitu talis est: cuius rei interitus sit bonum, illa est malum; & cuius interitus malum, illa bonum, vt diximus. is autem qui à procreatione sumitur, ita se habet: cuius procreatio malũ, illud etiã malũ; & cuius procreatio bonũ, & illud bonum. Exẽpla igitur locorũ generalia sunt hęc: sed ipse ea non adposuit, quòd de illis antea locutus esset. Exempla verò quæ partium generis afferuntur, de quibus in præsentia verba facit, dum ostẽdit locos à procreatione & interitu ad has quoque accõmodari, eiusmodi sunt. si[b] aliquis sciẽtiæ interitus sit in bonis, vel procreatio in malis, aliqua scientia in malis erit: amborũ autẽ locorũ exẽplũ simul posuit. Quare si obliuisci rerum turpium, quas aliquis fecit, bonum sit, scire res turpes quas aliquis fecit, malum erit. Atque hoc quidem sit exemplum loci, qui sumitur ab interitu; & iis quæ interimendi vim habent: scientiæ namque ac cognitionis interimendæ vim habet, obliuisci (nomen verò scientiæ pro cognitione communiter vsurpauit) ipsius autem interitus est; oblitum esse. Eius verò, qui à procreatione, huiusmodi est. si flagitiorum alicuius recordari, malum, & illa

[a] εἰ τὸ ἐπιστήμης φθαρτικὸν ἀγαθὸν, ἐπιστήμη κακόν. ita videtur esse legendum: nam illæ voces, κακῆς & τις, quæ & in codi. Medi. retinentur, ociosæ sunt.

[b] εἰ φθορὰ τῆς ἐπιστήμης τῶν ἀγαθῶν, ἡ γένεσις τῶν κακῶν. hæc emendata scriptura est.

illa scire, malum: recordatio enim est quędam scientiæ procreatio. ¶ Non secus (inquit) se res habet in aliis: propterea quòd eadem probabilitatis ratio valet in singulis quæstionibus, atque in vniuersis. Sed fortasse illud, *in aliis*, ad exempla retulit: neque enim in iis dumtaxat quæ posita sunt, sed etiam in aliis, si afferantur, verum est illud quod dicitur, cuius causa interimens est expetenda, illud fugiendũ esse; & cuius procreatio malũ, illud etiam malum: hi ergo loci nõ in sola scientia veritatem obtinent. Vel cùm dicit, *in aliis*, ea intelligit, quę procreationi & interitui comitantur: nempe efficientia, vsus, & adeptiones. Statuebatur enim, illud, cuius efficiens sit bonum, esse bonum; & cuius vsus, vel adeptio sit expetenda, illud quoque expetendum esse. Quemadmodum autem illud, cuius causa interimens sit bonum, malum est: sic contrà illud, cuius causa interimens, vel interitus, sit malum, bonum est. Et in his igitur eandem probabilitatis rationem valere inquit, tùm quæstionibus vniuersis, tùm etiam singulis explicandis.

Ἔτι ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ ὁμοίως. εἰ γὰρ μᾶλλον μὲν τῶν ἐξ ἄλλου γένους τι τοιοῦτον, ἐκείνων δὲ μηδέν ἐστιν, οὐδ᾽ ἂν τὸ εἰρημένον εἴη τοιοῦτον. οἷον εἰ μᾶλλον μὲν ἐπιστήμη τις ἀγαθὸν ἢ ἡδονή, μηδεμία. δὲ ἐπιστήμη ἀγαθόν, οὐδ᾽ ἂν ἡδονὴ εἴη. Καὶ ἐκ τοῦ ὁμοίως δὲ καὶ ἧττον, ὡσαύτως: ἔσται γὰρ καὶ ἀναιρεῖν καὶ κατασκευάζειν. πλὴν ἐκ μὲν τοῦ ὁμοίως, ἀμφότερα: ἐκ δὲ τοῦ ἧττον, κατασκευάζειν μόνον, ἀνασκευάζειν δὲ, οὔ. εἰ γὰρ ὁμοίως δύναμίς τις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη, ἔστι δέ τις δύναμις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη ἐστίν. εἰ δὲ μηδεμία δύναμις, οὐδ᾽ ἐπιστήμη. εἰ δὲ ἧττον δύναμίς τις ἀγαθὸν, ἢ ἐπιστήμη, ἔστι δέ τις δύναμις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη. εἰ δὲ μηδεμία δύναμις ἀγαθὸν, οὐκ ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην μηδεμίαν εἶναι ἀγαθόν. δῆλον οὖν ὅτι κατασκευάζειν μόνον ἐστὶν ἐκ τοῦ ἧττον.

Præterea, à maiore, à minore, & à simili. Siquid enim eorum, quæ ex alio genere sunt, magis quidem sit tale, illorum autem nihil sit: efficitur, vt neque id quod expositum est, sit tale: vt si aliqua scientia magis bonũ sit quàm voluptas, nulla autem scientia sit bonum, ne voluptas quidem bonũ erit. Eodemque modo à simili, & à minore: nam & euertere, & confirmare licebit: nisi quod ex simili vtrumque efficietur, ex minore autem, astruere solùm, non etiam destruere. Si enim facultas aliqua similiter bonum sit, & scientia, aliqua autem facultas sit bonum: & scientia bonum erit. quòd si nulla facultas, nec etiam scientia. Si verò facultas aliqua minus quàm scientia bonum sit, aliqua autem facultas sit bonum: & scientia bonum erit. quòd si nulla facultas, non necesse est ne vllam quidem scientiam esse bonum. Constat igitur, locum ex minore vim tantùm ad confirmandum habere.

72 Ex locis à maiore, à minore, & à simili, qui traditi sunt, is qui à maiore sumitur, ad destruendum tantùm valet: si enim, quod magis aliquid est, illud non est, ne id quidem quod minus: is verò qui à minore, ad confirmandum: nam si, quod minus aliquid est, illud est, etiam quod magis. is autem qui à simili, ad vtrumque est vtilis, ad confirmandum scilicet & destruendum: si enim, quod similiter atque aliquid aliud, est, illud est, & id quod cum ipso similitudinem habet, illud erit: item, si, quod similiter atque aliquid aliud, est, illud non est, nec

etiam id quod cum ipso similitudinem habet.[Hos igitur cōmemoratos locos non minus in singulis quæstionibus, quàm in vniuersis, probabilitatem habere inquit: verùm de illorum diuersitate mentionem non facit, quam, cùm eos in proximo superiore libro traderet, exposuit: vbi docuit, aut vnum, quod contingere illis dicatur, cum duobus comparari; aut duo cum vno, quę duo illi eidem euenire credantur; aut duo cum duobus, eis separatim contingentia. hic tamen exemplo vtitur, in quo vnum ad duo refertur: bonum namque in exemplo allato cum scientia & voluptate comparatur.[a] Sed possumus etiam hoc eodem loco vti, si duo ad vnum referantur: nam si aliqua iniuria, quæ est magis vtilis quàm iucunda, vtilis non sit, nec etiam erit iucunda. Quid? potest etiam duorũ duabus rebus contingentium comparatio fieri, hunc in modum: si aliqua effusio magis est liberalitas, quàm aliqua stultitia temperantia; & tamen primũ nõ est, ne id quidem, quod secundum. In quęstionibus autem de parte generi subiecta, primus locus eorum qui à maiore traditi sunt, argumentandi ansam præbere non potest, cuius tale exemplum erat: si[b] voluptas simpliciter est bonũ, maior quoque voluptas maius bonum erit. Rursus verò & in his locis quæstionũ generalium non meminit, perinde quasi de iis iam locutus sit: singularum autẽ cũ illis similitudinem patefacit. Primùm verò hoc ostẽdit ĩ eo loco, qui à maiore sumitur, & ad refellendum valet. exemplum igitur quæstionis generalis eiusmodi est: si scientia voluptati præstat, & scientia bonum non est, quanto minus erit voluptas? Illud autem, quod ad quæstionem de parte generis pertinet, ipse sic exponit. *si quid eorum, quæ ex alio genere sunt, magis quidem sit tale, illorum autem nihil sit: efficitur, vt neque id quod expositum est, sit tale*. Quid autem sit, ex *alio genere*, exẽplo declarat, cum inquit: *vt si aliqua scientia magis bonum sit quàm voluptas, nulla autem scientia sit bonum, nè voluptas quidem bonum erit*: aliud enim genus est scientia, aliud voluptas. Si simpliciter igitur sumptum esset, si scientia magis quàm voluptas bonum sit, id de diuersis generibus vniuersè dictũ esset, quemadmodum & si diceretur, si hoc genus magis quàm illud tale sit, verbi gratia scientia magis quàm voluptas: nunc verò cùm particulas illas addiderit, *aliquid*, & *aliqua*, quæstionem non generalem, sed generi tamquã partem subiectam effecit. Verùm licet quæstio de parte sit, eam tamen refellens generatim atq; vniuersè inquit, *nulla autẽ scientia sit bonũ*: propterea quòd quæ in parte affirmant, non aliter euerti possunt, si interminatè posita simpliciter debeant euerti, quàm per id quod vniuersè negat, vt ipsemet ĩ eprogressu[c] docebit.[Hic autem locus quià maiore sumitur, non solùm in diuersis generibus vim suã obtinet, sed etiam in iis quę sub eodem genere continentur: nam si eorum quæ eidẽ generi subiiciuntur, id, quod maximè tale esse videtur, quis accipiat, ac nõ esse tale ostendat, ne vllum quidem aliud eorum quę in eodem genere includuntur, esse tale, demonstrabit: vt si, quod maximè tale esse videtur, nõ sit tale, nec etiã aliud quidquã eorum, quæ in eodem genere insunt, erit tale. Si exempli gratia voluptas, quę maximè videatur esse quiddam optimũ, nempe ea quæ animi propria est, non est optimum quiddam, ne vlla quidem alia optimum erit. Præterea, si ex[d] cõtingentibus illud, quod maximè videtur posse sciri, sciri non potest: ne vllum quidem aliud contingentium genus sciri poterit. Illud autem contingens maximè sciri posse videatur, quod plerumque contingit: ergo si hoc sciri non potest, nec etiam quoduis aliud contingens. Item, nullus sensus est scientiã, cùm is non sit, qui maximè esse videtur, nimirũ[e] sensus videndi. Sic neque vir quispiã perturbationibus vacat, quia nec ille, qui maximè videtur vacare, nẽpe vir bonus. Sed & ipse paulò pòst docebit, posse in[f] eodem genere argumẽtationem

[a] ἔνεστι ὁμοίως χρήσασθαι. ex coniectura ita reposui: quod postea confirmauit cod. Med.

[b] εἰ ἡ ἡδονὴ ἁπλῶς ἀγαθὸν, καὶ ἡ μᾶλλον ἡδονὴ μᾶλλον ἀγαθόν. sic legẽdum est, ordine verborũ variato.

[c] Comm. 75.

[d] Hoc nomine usi sumus, ne, si idẽ pluribus verbis significaretur, res obscura fieret.

[e] Oculorum. n. vt inquit Plato in Phædro, est in nobis sensus acerrimus. Cice. 2. de Fini. item 2. de Orat.

[f] ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ γένους. sic castigaui, cùm mendosè legeretur, ἐπὶ τοῦδε τοῦ γένους.

nem ex maiore confici ad refellendum. ¶Quemadmodum autem locum, qui ex maiore appellatur, & ad destruendũ vim habet, ĩ quæstionibus quoque de parte generis tractari posse affirmat: sic etiam iis, qui ex minore, & ex simili vocantur, easdem quæstiones tùm euerti tùm confirmari licere testatur. Sed hi discrepant inter se, quòd is qui à simili sumitur, valet, vt antea traditum fuit, & ad firmandum & ad infirmandum: ille autem qui à minore, ad firmandum tantùm, quemadmodum & qui à maiore, ad infirmandum. Adponit verò etiam exépla, quibus declarat, locum sumptum à simili, non minus in singulis quæstionibus quàm in vniuersis, & ad astruendum & ad destruendum vtilem esse: illum verò qui à minore, ad astruendum solùm. Hunc igitur ad redarguendum adhiberi nõ posse, demonstrat: posito namque hoc, si facultas aliqua minus quàm sciẽtia bonum sit; si assumatur aliquam facultatem esse bonum, scientiam quoque bonum esse, ostenditur atque confirmatur. Quòd si assumatur nullam facultatem esse bonum; ne scientiam quidem esse, non ostenditur: neque enim necesse est, si quod minus aliquid est, non sit, ne id quidem esse, quod magis: quẽadmodum contrà necesse est, si quod minus aliquid est, sit, illud etiam esse, quod magis. ¶Exemplum verò quo vsus est, in his etiam posterioribus locis vnum continet, quod cum duobus comparatur: bonum namque cum facultate atque scientia confertur.

ADNOTATIONES.

Præterea, à maiore, à minore, et à simili] *Locum, quem hic Aristoteles ἐκ τοῦ ὁμοίως appellat, nos autem, ex simili, reddidimus, Cicero in II. libro de Oratore, ex pari, vocauit: eúque cum locis ex maiore et minore, quẽadmodũ et hic philosophus, coniunxit: inquit enim.* Maiora autem & minora & paria comparabimus sic. ex maiore. Si bona existimatio diuitiis præstat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? ex minore sic.

Hic paruæ consuetudinis
Causa huius mortem fert tàm familiariter:
Quid si ipse amasset: quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic. est eiusdẽ & eripere cõtra rempublicã, & largiri pecunias. *Terentius in Heautontimor. cùm Chremetem ita de Menedemo cum filio suo loquentem induxit, ex maiore argumentatus est.* Fortasse aliquanto iniquior erat præter eius lubidinem: Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum? *Idem in Andria à minore argumentum sumpsit, cum inquit.* Nam si illum obiurges, vitæ qui auxiliũ tulit, Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? *Item Aristot. lib. IIII. Ethi. ad Nicom. cap. III. cùm virũ magnanimũ in diuitiis & principatu, et in omnes denique bona, vel aduersa fortuna moderatũ se præbere dixisset, nec in rebus quidem prosperis efferri lætitia, in contrariis autem mœrore contrahi, ex maiore argumentum duxit: inquit enim.* οὐδὲ γὰρ περὶ τιμὴν οὕτως ἔχει, ὡς μέγιστον ὄν. αἱ γὰρ δυναστεῖαι, καὶ ὁ πλοῦτος, διὰ τὴν τιμήν ἐστιν αἱρετά· οἱ γοῦν ἔχοντες αὐτά, τιμᾶσθαι δι' αὐτῶν βούλονται. ᾧ δὴ καὶ ἡ τιμὴ μικρόν ἐστι, τούτῳ καὶ τἆλλα. *quasi dicat: si moderatè fert honores, quod permirum videtur, cùm honores sint maxima externorum bonorum, moderatius multò feret opes, potentiam, & huiuscemodi alia, quæ honoris gratia expetuntur.*

οὐ μόνον δὲ ἐξ ἄλλου γένους ἔστιν ἀνασκευάζειν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, λαμβάνοντα τὸ μάλιστα τοιοῦτον. οἷον εἰ κεῖται ἐπιστήμη τις ἀγαθόν, δειχθείη δ' ὅτι φρόνησις οὐκ ἀγαθόν, οὐδ' ἄλλη οὐδεμία ἔσται, ἐπεὶ οὐδ' ἡ μάλιστα δοκοῦσα.

Non solùm autem ex alio genere licet refellere, sed etiam ex eodem, siquis sumat, quod sit maximè tale: vt si aliqua scientia

bonum esse ponitur, prudentia autem bonum non esse ostenditur, nec ulla etiam alia erit, quippe cùm ne ea quidem, quæ maximè videatur.

73 Locum, qui ex maiore appellatur, & ad refellendum vim habet, non solùm in diuersis generibus tractari posse, vt antea dixit, sed etiam in eodem, docet: quod & nos pluribus exemplis positis iam demonstrauimus. [In exemplo autem quod hic affertur, illud communiter pronunciauit, *vt si aliqua scientia bonũ esse ponitur, prudentia autem bonum non esse ostenditur*, perinde ac virtutes sine scientiæ. Sed non minus accómodatum exemplum erit, siquis virtutes eò non esse scientias ostendat, quòd ne prudentia quidem, quę ex virtutibus maximè videtur scientia. ¶ Verba autem quę ab ipso ponuntur, idem valent ac si dicatur: si quęratur, sit ne aliqua scientia bonum, hoc est, sit ne aliqua virtus bonum; & illa scientia, hoc est illa virtus, quæ maximè videtur bonum, bonum non esse demonstretur: ne vlla quidem alia virtus bonum erit.

Ἔτι δὲ ὑποθέσεως ὁμοίως ἀξιοῦντα, εἰ ἑνὶ, καὶ πᾶσιν ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν. οἷον εἰ τοῦ ἀνθρώπου ἡ ψυχὴ ἀθάνατος, καὶ τὰς ἄλλας· εἰ δὲ αὕτη μὴ, μηδὲ τὰς ἄλλας. εἰ μὲν οὖν ὑπάρχειν τινὶ κεῖται, δεικτέον ὅτι οὐχ ὑπάρχει τινί· ἀκολουθήσει γὰρ διὰ τὴν ὑπόθεσιν τὸ μηδενὶ ὑπάρχειν. εἰ δὲ τινὶ μὴ ὑπάρχον κεῖται, δεικτέον ὅτι ὑπάρχει τινί· καὶ γὰρ οὕτως ἀκολουθήσει τὸ πᾶσιν ὑπάρχειν. δῆλον δ' ἐστὶν, ὅτι ὁ ὑποτιθέμενος ποιεῖ τὸ πρόβλημα καθόλου ἐπὶ μέρους τεθέν. τὸν γὰρ ἐπὶ μέρους ὁμολογοῦντα, καθόλου ἀξιοῖ ὁμολογεῖν, ἐπειδὴ εἰ ἑνὶ, καὶ πᾶσιν ὁμοίως ἀξιοῖ ὑπάρχειν.

Præterea ex hypothesi, si enuncietur, pari ratione si cui conueniat, etiam omnibus conuenire, aut non conuenire: vt si hominis animus sit immortalis, etiam ceterorum: quòd si non hic, ne ceterorum quidem esse. Si igitur res alicui conuenire ponatur, eam alicui non conuenire, docendum est: nam ex hypothesi sequetur, nulli conuenire. Quòd si alicui nõ conuenire ponatur, eam alicui conuenire, monstrandum est: quandoquidem & sic sequetur, conuenire omnibus. Illud autem perspicuum est, eũ qui hypothesi vtatur, quæstionem efficere generalem, cùm fuerit in parte posita: illũ enim vult qui partem concedat, totũ etiam concedere; siquidem si vni, pari ratione æquum putat cõuenire omnibus.

74 Cùm suprà, quinã loci [a] priuatis ac singularibus quæstionibus apti essent, exponeret, primùm quidem docuit, quęstiones quæ in parte generis afferũtur, per eosdem locos probari vel reprehendi, per quos vniuersas, quòd illæ in his includantur: deinde verò locos eos recensuit, qui eandem in singulis quæstionibus, ac in vniuersis, probabilitatis rationem habent; & ostendit, posse nos ex iis pariter ad vtrsique genus argumenta sumere. His ita explicatis, eum qui ex hypothesi appellatur, nunc exponit: quem & ipsum non minus in singulares, quàm in vniuersas quæstiones conuenire demonstrat. Vtendum est igitur (inquit) loco qui ab hypothesi sumitur, in quæstionibus quæ de parte generis proponuntur: sed quis sit locus ex hypothesi, declarauit ipse, cum addidit: *si enuncietur, pari ratione si cui conueniat, etiam omnibus conuenire*, [b] *aut non conuenire*: hic enim locus tùm ad confirmandũ, tùm ad refellendũ vim habet. Si quæratur igitur, sitne omnis animus immortalis: quæstio generalis erit & vniuersa, nosque locum ex hypothesi adhibebimus, enunciando, si vnus esse ostendatur, etiam ceteros eodem

a Sic videtur interpretari vocem καθ' ἕκαστα, vel τὸ ἐπὶ μέρους Cicero in III. lib. de Oratore, cum inquit. Ornatissimæ sunt igitur orationes eæ, quæ latissimè vagantur, et à priuata ac singulari controuersia se ad vniuersi generis vim explicandam conferunt & cõuertunt: & cet.

b ἢ μὴ ὑπάρχειν. hæc verba restituimus, quæ manifestò in Græco cod. etiam manuscripto, desiderabãtur, ut, quæ sequũtur, declarãt.

dem

dem modo se habere. quare si hominis animũ immortalem esse probauerimus, id vi hypothesis erit etiam de ceteris à nobis probatum. Quòd si refellere volumus, si vnum immortalem non esse sumpserimus, ne ceteri quidem erunt. ergo cùm hominis animum, aut aliquem alium, non esse immortalem ostenderimus, ne ceteros quidem esse, generatim atque vniuersè à nobis ostensum erit. Sed si quęratur,[c] sitne aliquis animus, vtputa hominis, immortalis: quęstio erit in parte generis, nos autem similiter loco ex hypothesi vtemur. Quare si[d] sumamus, si aliquis sit ĩmortalis, omnes etiã alios ĩmortales esse; aliquẽ verò esse ĩmortalẽ probemus, atq; ex hoc omnes alios ĩmortales esse sumamus: animum quoq; hominis esse ĩmortalẽ probauerimus, cuius cõtrariũ in quæstione positũ erat. Quòd si cõtrà ostendamus, aliquẽ nõ esse ĩmortalẽ, nec vllum etiã aliũ immortalem esse, habebimus: ex quo colligemus, ne hominis quidem, de quo quærebatur. ¶ Perspicuum autem est, eum qui ita demonstrat, necessariò de vniuerso genere rem demonstrare, quamuis in parte generis quæstio allata sit: neque enim aliter vti licet argumento ab hypothesi ducto, cùm enunciare oporteat, si cui conueniat, etiam omnibus pari ratione cõuenire. [*Si igitur res alicui conuenire ponatur*: id, quod his verbis traditur, eiusmodi est. Si, quod refellere volumus, affirmans in parte ponatur: tunc eniti debemus, vt, loco ex hypothesi vtentes, alicui non conuenire ostendamus; cùm scilicet id prius petiuerimus, vt, si alicui non conuenire ostendatur, ne vlli quidem, ostensum sit: ex quo illud tolletur, alicui conuenire, quod tollere instituimus. Quòd si alicui non conuenire ponatur: contrà faciendum est, vt scilicet id, quod in parte affirmat, comprobemus, & ex eo hypothesis vi sumamus, conuenire omnibus: ex quo illud euertetur, alicui non conuenire. ¶ Illud verò quod adiunxit, *perspicuum autem est eum qui hypothesi vtatur, quæstionem efficere generalem, cùm fuerit in parte posita*, idem valet ac si dicatur: is qui hypothesi vtitur, hypothesis vi ex partibus generis genus vniuersum demonstrat, quamuis propositum sit partem refellere, cùm quæstio in parte allata esset.

Ἀδιορίστου μὲν οὖν ὄντος τοῦ προβλήματος, μοναχῶς ἀνασκευάζειν ἐνδέχεται. οἷον εἴ τις ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, ἢ μὴ ἀγαθόν, καὶ μηδὲν ἄλλο προσδιώρισεν. εἰ μὲν γὰρ τινα ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, δεικτέον καθόλου ὅτι οὐδεμία, εἰ μέλλει ἀναιρεῖσθαι τὸ προκείμενον. ὁμοίως δὲ καὶ εἴ τινα ἡδονὴν ἔφησε μὴ εἶναι ἀγαθόν, δεικτέον καθόλου ὅτι πᾶσα. ἄλλως δ' οὐκ ἐνδέχεται ἀναιρεῖν. ἐὰν γὰρ δείξωμεν, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν, οὔπω ἀναιρεῖται τὸ προκείμενον. δῆλον οὖν, ὅτι ἀναιρεῖν μὲν μοναχῶς ἐνδέχεται, κατασκευάζειν δὲ διχῶς. ἄν τε γὰρ καθόλου δείξωμεν, ὅτι πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθόν, ἄν τε ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ ἀγαθόν, δεδειγμένον ἔσται τὸ προκείμενον. ὁμοίως δὲ κἂν δέῃ διαλεχθῆναι, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν, ἐὰν δείξωμεν ὅτι οὐδεμία ἀγαθόν, ἢ ὅτι τὶς οὐκ ἀγαθόν, δεδειγμένοι ἐσόμεθα ἀμφοτέρως, καὶ καθόλου, καὶ ἐπὶ μέρους, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν.

Cum autem quæstio fuerit interminata, vno modo refelli poterit; vt si quis voluptatem bonum esse dixerit, aut non esse bonum, neque aliud præterea quicquam addiderit. Nam si voluptatem aliquam bonum esse dixerit, nullam esse omnino probandum est, si res proposita debet euerti. Item, si voluptatem aliquam nõ esse bonum enunciarit, generatim atque vniuersè mõstrandum est, omnem esse. Aliter autem non licet euertere: nam si voluptatem aliquã non esse bonum, aut[a] esse doceamus, non dum proposita res euersa est. Constat igitur, rem infirmari vno

L

[c] εἰ ἡ ψυχή τις ἀθάνατος. *sic legendum est, ut nemo non videt, et ut cod. Med. confirmat.*

[d] *Sumere, ut apud Græcos* λαμβάνειν, *ualet ponere aliquid sibi, & suo quasi iure tanquã firmũ certumque sumere. Lucret. li. V. Illud in his rebus ne arripuisse rearis Memmi, quòd terrã atque ignem mortalia sumpsi Esse. hinc sumptiones apud M. T. idest* λήμματα.

[a] *Hoc abũdat, vt Alex. in suo cõment. testatur.*

modo posse, confirmari duobus. Siue enim generaliter ostendamus omnem voluptatem esse bonum, siue aliquam, res proposita confirmata erit. Itemque, si opus sit probare, voluptatem aliquã nõ esse bonum: si nullam esse, aut aliquam non esse doceamus, vtroque modo erit à nobis probatum, & generaliter, & ex parte, voluptatem aliquã non esse bonum.

75 Hæc quoque, quę nunc traduntur, ad quæstiones de parte generis pertinẽt: nam ex iis aliquæ simpliciter ac interminatè proponuntur, aliquæ cum terminatione quadam, aut etiam cum pluribus. Ostendit igitur, quomodo quæstiones de parte generis, tùm interminatæ, tùm terminatæ, infirmari possint & cõfirmari; atque ex posterioribus, quomodo quę sunt minus terminatæ, & quo modo quæ magis: quæ verò sũt interminatę, eas facilius cõfirmari posse, quàm infirmari, declarat. Iure optimo autem in tractandis iis, quæ ad accidens pertinent, quæstiones quoque de parte generis persecutus est: nam, vt iam sæpius dictum fuit, quęstiones de parte, in solo accidente maximè locum habent. ¶ Quæstiones autem de parte generis interminatę, sunt exempli gratia hę: affirmans quidem, Aliqua voluptas bonum, negans verò, Aliqua voluptas non bonum: nã illa quæstio, Intemperantis voluptas bonum, est quidem de parte ac singularis, sed quia sic terminatur ac definitur, est de parte non simpliciter allata. His autem [a] propositionibus vtitur, Aliqua voluptas bonum, & Aliqua voluptas non bonum, perinde ac prior idem atque illa valeat, Voluptas bonum, quę propriè interminata dicitur, & posterior idem atque illa, Voluptas non bonum: ob id enim & hæ quæ in parte, sunt interminatæ, quòd æquè ac illę valent, quæ propriè interminatæ nuncupantur. Quare cùm prius dixisset, *vt si quis voluptatem bonum esse dixerit, aut non esse bonum*; postea sumpsit, aliquam voluptatem esse bonum, quasi hoc idem sit atque illud, voluptatem esse bonum; & aliquam voluptatem non esse bonum, proinde quasi hoc idem valeat atque illud, voluptatem non esse bonum: inquit enim: *Item, si voluptatem aliquam non esse bonum enunciarit*. Atque hæ quidem sunt propositiones seu quæstiones de parte generis interminatę & infinitæ: & quia terminatum ac definitum non est, vtrum ob genus vniuersum, an per se ipsas intelligantur, idcirco ponunt id quod est in parte. Terminatas autem in parte eas appellat, quę aut aliquã voluptatem esse bonum, aliquã non esse, aut solam voluptatem quæ ex contemplatione capitur, esse bonum, enunciant. [Hę igitur differentię cùm in quæstionibus de parte generis reperiantur, primùm de interminata verba facit, & inquit eam infirmari quidem vno modo posse, confirmari duobus. Nam quæ ponit aliquã voluptatẽ esse bonum, eam hoc vno modo conuellere licet, si vniuersè ostendamus, nullã voluptatem bonum: qui enim aliquam voluptatem non esse bonum demõstrat, non tollit, quin aliqua voluptas sit bonum, cùm illa ostensa possit etiam hęc esse vera. Pari quoque ratione illam, quæ ponit aliquam voluptatem non esse bonum, vnico tantùm modo labefactare possumus, si scilicet ostendamus, omnẽ voluptatem esse bonum: neque enim qui voluptatem aliquam bonum esse ostendit, iam & illud euertit, aliquam non esse bonum. Ipse autem Aristoteles cùm de propositione quæ in parte negat, dixisset, eam illa sola quæ in vniuersum affirmat, euertit, addidit: *nam si voluptatem aliquam non esse bonum doceamus, nondum proposita res euersa est*. hoc verò quod dicit, de illa quæ in parte affirmat, intelligit, de qua prius locutus erat. Simile autem quiddam de ea non affert,

[a] *Locum in Græco cod. mendosum quibus verbis potuimus, expressimus.*

fert, quæ in parte negat, ostendens illam ea non destrui, quæ in parte affirmat: quasi hoc perspicuum factum esset ex eo, quod de affirmante in parte tradiderat. [Confirmari autem vtramque quęstionem, quæ sic in parte generis proponatur, duobus modis posse testatur: siue enim generaliter ostendamus omnẽ voluptatem esse bonum, siue priuatim aliquã, vtroque modo quæ in parte affirmat, à nobis confirmata erit. Similiter autem & quæ in parte negat, cõfirmabitur, cùm scilicet si doceatur nullam voluptatem esse bonũ (nam si nullã, ne aliqua quidem) tùm etiam si aliqua non erit bonum: vtroque enim modo demonstratur, aliquam voluptatem non esse bonum.

Διωρισμένης δὲ τῆς θέσεως οὔσης, διχῶς ἀναιρεῖν ἔσται. οἷον εἰ τεθείη τινὶ μὲν [a] ἡδονὴ ἀγαθὸν εἶναι, τινὶ δὲ οὔ. εἴτε γὰρ πᾶσα δειχθείη ἡδονὴ ἀγαθὸν, εἴτε μηδεμία, ἀνῃρημένον ἔσται τὸ προκείμενον. εἰ δὲ μίαν μόνην ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, τριχῶς ἐνδέχεται ἀναιρεῖν. δείξαντες γὰρ ὅτι πᾶσα, ἢ ὅτι οὐδεμία, ἢ ὅτι πλείους μιᾶς ἀγαθὸν, ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸ προκείμενον. ἐπὶ πλεῖον δὲ τῆς θέσεως διορισθείσης, οἷον ὅτι ἡ φρόνησις μόνη τῶν ἀρετῶν ἐπιστήμη, τετραχῶς ἐστιν ἀναιρεῖν. δειχθέντος γὰρ, ὅτι πᾶσα ἀρετὴ ἐπιστήμη, ἢ ὅτι οὐδεμία, ἢ ὅτι καὶ ἄλλη τις, οἷον ἡ δικαιοσύνη, ἢ ὅτι αὐτὴ ἡ φρόνησις οὐκ ἐπιστήμη, ἀνῃρημένον ἔσται τὸ προκείμενον.

[a] *Sic habent antiqua exẽplaria: quæ lectio videtur esse politior & elegãtior, eamque sequitur vetus interpres.*

Quòd si thesis sit terminata, duobus modis euerti poterit: vt siquis posuerit aliquam voluptatem esse bonum, aliquã nõ esse: siue enim doceatur, omnem voluptatem esse bonum, siue nullã, res proposita euersa erit. Quòd si vnam tantummodo voluptatem bonum esse dixerit, tribus modis eam confutare licet: nam si doceamus, vel omnem voluptatem esse bonum, vel nullam, vel plures vna, id quod propositum fuit, à nobis confutatũ erit. Si verò thesis magis sit terminata, vt prudentiam solam ex virtutibus esse scientiam, quattuor modis labefactari poterit: nã si doceatur, aut omnem virtutem esse scientiã, aut nullã, aut etiã aliã quãpiã, verbi causa iustitiam, aut ne ipsam quidem prudentiam esse scientiam, labefactatum erit id quod propositum fuit.

76 Quæstionem appellat thesim, idest propositum. inquit autem, si quæstio sit terminata, hoc est, si in quæstione huiusmodi sit terminatio, nũ aliqua voluptas bonum, aliqua non bonum. Sed illud mihi videtur addidisse, ***aliqua non bonum***, non vt id omnino debeat in propositione poni, sed vt indicet, propositionem in parte non esse per se veram solùm, sed ob vniuersam, cui subiicitur, neque indeterminatè & infinitè: nam si duę propositiones essent positæ, vna duobus modis non euerteretur: sed cùm duæ essent, eæ à duabus tollerentur, affirmans quidem ab illa, quæ in vniuersum affirmat; negans verò ab illa, quę in vniuersum negat. Duobus igitur modis (inquit) euerti potest quæstio de parte generis sic terminata ac definita: siue enim doceatur omnem voluptatem esse bonum, siue nullam, tollitur illud quod dicitur, aliquam esse, aliquam non esse; nam si nulla sit, non potest aliqua quidem esse, aliqua autem non esse. [Quòd si ita sit terminata, num vna tantùm voluptas bonũ, tribus modis refutari poterit: siue enim omnis voluptas bonum esse ostendatur, siue nulla, euertitur id quod dicitur, vnam tantùm esse; nam si nulla sit bonum, ne vna quidem tantummodo erit: prę terea si plures quàm vnã bonum esse ostendamus, hoc etiam modo eãdem quæstionẽ profligabimus. [Si autem quæstio de parte generis magis sit terminata,

possunt, si paulum, dum pronunciantur, immutentur. Exempli gratia, quod natura tale est, eo, quod non natura sit tale, est magis tale. Item, si id quod præditum est, cùm ei alterutrum adfuerit, ab altero efficiatur tale, ab altero minimè: illud, à quo efficitur, magis tale erit, quàm id, à quo nõ efficitur. quòd si ab vtroque efficitur, illud, à quo magis tale efficitur.

63 Hactenus de eo, quod magis est aut maius, & omninò de iis quæ in contentionem vocantur, locos nobis exposuit in certa ac peculiari materia, nempe in eo, quod dicimus esse expetẽdũ. In omnibus enĩ qui ab ipso cõmemorati sunt, hoc modo de rebus fiebat cõtẽtio: [f] nam loci, si ĩ certa & definita materia exponãtur, facilius apprehendũtur: verbi gratia si ita dicamus, quod sua natura expetendum est, bonum est; valetudo autem sua ui & natura expetenda est: ergo naturale bonum est. sunt autem nonnulla sua ui & natura expetenda, quę nõ omninò sunt bona: [a] exempli gratia; valetudo igitur bonum est, quæ, vt diximus, prima efficitur propositio. Verùm quia comparatio non ex eo tantùm fit, quod dicimus esse expetendum: optima ratione & via his, quæ subdit, verbis nos docet, quomodo his ipsis locis generaliter, & ad omnia alia, ex quibus fit comparatio, vti possimus. Nam cùm magis, quod cõparatè accipitur, nõ de bonis tãtũ & malis, seu de rebus expetendis & fugiendis vsurpetur, verùm etiã de aliis, [a] vt de calido & frigido, albo & nigro, & huiuscemodi multis; similiter & maius, nõ de bonis & malis dũtaxat, sed etiã de aliis, præsertim quidẽ de magnitudinibus, tùm de numeris & põderibus, ac de aliis sexcẽtis, quorũ cõparatio fieri solet ex eo, quod fit maius: locos cõparationis, quos intellexit, eũ addidit illa verba *de eo, quod magis est aut maius*, quàm maximè generales sumendos esse inquit: nã si hoc modo sumãtur, ad plura cõcludẽda valebũt, & nõ ad illa dũtaxat, quę sint expetẽda aut fugiẽda, ad quæ hactenus iis vsi sumus. ¶ Hoc ita tradito, qua ratione loci, qui commemorati sunt, generales effici queant, exponit. Ergo si paulum, dum traduntur, à nobis immutentur, hoc est, si id quod communius est, pro eo quod speciatim ponitur, substituatur: eueniet id quod dictum est. quomodo autem id fiat, exemplis in aliquot locis declarat. In primis igitur [b] tradebatur, illud, quod natura bonum sit, magis expetendum esse eo, quod non natura: atque ita hic locus ad solam bonorum inter se comparationem faciendam nobis vtilis est. Verùm quia non solùm id, quod natura bonum sit, eo quod non natura, magis bonum est magisque expetendum, sed etiam quod natura fugiendum, eo quod non natura, magis fugiendum est; & quod natura candidum, eo quod non natura, candidius; eademque ratio valet in eo quod sit salubre, aut dulce, aut alio simili modo affectum: profectò si pro eo quod est, natura bonum, dicamus, quod natura tale est, eo quod nõ natura sit tale, est magis tale; & locum generalem efficiemus, & illo ad omnia vti poterimus, in quibus id quod natura dicitur, & id quod non natura, reperiantur: nam si ita locus ponatur, omnia concessa erunt. [c] Ponatur præterea, illud quod sua prẽsentia bonos efficit, eo quod non efficit, magis expetendum esse. Itaque si loco huius quod speciatim ponitur, sumamus, illud, à quo id quod ipso præditum sit, efficitur tale, magis tale est quàm illud, à quo non efficitur: cùm locum generalẽ reddemus, tùm etiam illo ad multa alia vti poterimus. Aristoteles autem locũ hunc ita exposuit: si alterum eum adfuerit, efficiat id quod ipso præditum sit, tale, alterum non efficiat: illud quod efficit, magis tale erit quàm id, quod non efficit. Atque ita quod calidum efficit, calidius est, quàm quod non efficit; & quod dulce, aut honestum, aut iucundum reddit, magis tale est, quàm quod non reddit.

Quòd

[f] *Vide pagina* 5.

[a] οἷον, ἀγαθὸν ἄρα ἡ ὑγίεια. *Locum hunc mutilatum sine ope alicuius melioris codicis restituere me non posse ingenuè fateor.*

[a] *Ex auctoritate codicis Med. hic nonnulla restituimus, quæ sine dubio in impresso desiderabantur.*

[b] *Comm.* x.

[c] *Comm.* 46.

[d Quòd si ambo illud ipsum tale efficiunt: quod magis efficit, magis etiam tale est: vt si ambo efficiunt id, quod ipsis præditum sit, aut dulce, aut calidū, aut bonum, aut maius. Mutatio igitur in id, quod sit maximè generale, nempe in vocabulum, tale, communiorem longèque vtiliorem locum reddidit.

d Comm. 46.

Ἔτι εἰ τῷ αὐτῷ τινὸς τὸ μὲν μᾶλλον, τὸ δὲ ἧττον τοιοῦτον.

Præterea, si vno & eodem alterum sit magis tale, alterū minus.

Non sunt in exemplari Abb. Floren. hi duo loci proximi.

64 Huiusmodi quendam locum [a] antea tradidit. si quo bono vnum maius bonū sit, alterum minus, maius magis expetendum est. atque ita bona corporis habitu do magis expetenda est diuitiis, quòd illa magis expetēda sit valetudine, hæ autem minus. Quomodo igitur & hunc locum, dum illum exponimus & pronunciamus, generaliorem efficere possimus, ipse docet: nimirum si ita dicamus: si vno & eodem alterum sit magis tale, alterum minus, illud, quod eo ipso magis est tale, est etiam magis tale quàm alterū. Locus igitur generalis erit, si pro voce bonum, accipiamus uocabulum, tale: nam si ita ponatur, tunc nobis licebit ostēdere, aliud maius esse quàm aliud, vel plus, vel calidius, vel dulcius, vel omninò horum simile, propterea quòd vocabulum, tale, his omnibus accommodatur.

a Comm. 48.

Καὶ εἰ τὸ μὲν τοιούτου μᾶλλον τοιοῦδε, τὸ δὲ μὴ δεκτικοῦ τοιούτου, δῆλον, ὅτι τὸ πρῶτον ἐστι μᾶλλον τοιοῦτον.

Et si alterum tali sit magis tale, alterum autem non ita tale: illud, quod primum positum est, esse magis tale, constat.

65 Locus ita se habebat. si alterum aliquo bono sit maius bonum, alterum autem bonum quidem sit, sed nullo tamē bono maius: illud, quod aliquo bono sit maius bonum, magis expetendum est. Locus autem, quem hic exponit, generalis est & vniuersus: illius namque ope probare possumus, aliud alio calidius esse, vel dulcius, atque alia sexcenta, propterea quòd vocabulum, tale, [a] nō solùm iis quę sint expetenda, sed etiam aliis multis accommodatur. Videtur autem hic locus diuersus esse ab iis, qui expositi sunt, siquis eum ita accipiat: nam calidum, si magis calido sit calidius, magis est calidum: itemque, quod dulcius sit magis dulci: similisque ratio valet in frigido, amaro, & huiuscemodi aliis.

a καὶ μὴ τοῖς αἱρετοῖς μόνοις. sic legendum est, non εἰ μὴ τοῖς, ut et cod. Med. habet.

ADNOTATIONES.

Et si alterum tali sit magis tale] *Nullum talem locum, qualem intelligit Alexander in suo commentario, exposuit nobis adhuc Aristoteles, si ii percurrantur. quare ego, si ita legatur in Græco codice,* καὶ εἰ τὸ μὲν μᾶλλον τοιούτου τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτου τοιοῦδε, *&c. referrem hæc verba ad locum 46, vbi dicebatur:* ἢ εἰ τὸ βέλτιον καὶ κυριώτερον ποιεῖ ἀγαθὸν: οἷον εἰ τὸ μὲν τὴν ψυχὴν, τὸ δὲ τὸ σῶμα: *idem enim videtur vtrobique significari. Quòd si hanc scripturam, quam & codex Med. et nonnulli alii habent, et quam ego vt integriorem secutus sum, tueri volumus;* καὶ εἰ τὸ μὲν τοιούτου μᾶλλον τοιοῦτον, τὸ δὲ μὴ τοιούτως τοιοῦτον: *ita hæc verba accipienda erunt, vt respondeant loco 49, cum tradebatur:* ἀλλὰ καὶ εἰ δύο τινὰ τινὸς ἐστιν αἱρετώτερα, τὸ μᾶλλον αἱρετώτερον, τοῦ ἧττον αἱρετοῦ τοῦ αἱρετώτερον. *In hanc certè sententiā propensior sum, præsertim cùm videam locum hunc, & proximum superiorem, coniunctim quoque hic tradi, quemadmodum & antea, vbi eos philosophus exponebat.*

b Comm. 61.

Ἔτι ἐκ τῆς προσθέσεως, εἰ τῷ αὐτῷ προστιθέμενόν τι, τὸ ὅλον μᾶλλον ποιεῖ τοιοῦτον. καὶ εἰ τῷ ἧττον τοιούτῳ προστιθέμενον, τὸ ὅλον μᾶλλον ποιεῖ τοιοῦτον.

Præterea ex adiunctione, si eidem rei aliquid adiungatur, totumque magis tale efficiat. Et si rei minus tali aliquid adiungatur, totumque magis tale reddat,

66 Quo & loci ab adiūctione ac detractione sūpti, quos iā exposuit, generaliores cōmunioresq; effici possint, ostendit. Loci igitur ab adiunctione, quos [a] exposuit, erant hi: si eidem rei aliquid adiungatur, totumque optabilius efficiat: item, si quid minori adiunctum, totum maius reddat. In quos autem eos nūc vertit, eiusmodi sunt: si eidem rei aliquid adiūgatur, totumque magis tale efficiat: nam hæc vox, magis tale, generalior est quàm illa, optabilius, quippe quæ rei candidæ, dulci, malæ, & huius generis aliis conueniat. Item, si rei minus tali aliquid adiungatur, totumque magis tale reddat: hæ namque voces, minus tale, & magis tale, communiores sunt quàm [b] illę, minus optabile, & magis optabile.

[a] Cōm. 52, & 53.

ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῆς ἀφαιρέσεως· οὗ γὰρ ἀφαιρεθέντος τὸ λειπόμενον ἧττον τοιοῦτον, αὐτὸ μᾶλλον τοιοῦτον.

[b] ... τοῦ ἧττον αἱρετοῦ καὶ μᾶλλον αἱρετοῦ. Sic men... losum locum castigauimus: quod postea confirmauit cod. Med.

Similique modo ex detractione: illud enim, quo detracto id quod restat, minus tale efficitur, magis tale est.

67 Locus à detractione, qui ex eo, quod dicimus esse expetendum, [a] sumebatur, erat huiusmodi. illud, quo ab eadem re detracto, id quod restat, minus efficitur, maius est. In quem autem nunc mutatur, ita se habet. illud, quo detracto id quod restat, minus tale efficitur, magis tale est: hæ enim voces, minus tale & magis tale, communiores generalioresque sunt quàm illę, minus & maius, quibus superius vsus est. quare si ita locus ponatur, ad plura concludenda illo vti possumus.

[a] Comm. 54.

Καὶ τὰ τοῖς ἐναντίοις ἀμιγέστερα, μᾶλλον τοιαῦτα· οἷον λευκότερον, τὸ τῷ μέλανι ἀμιγέστερον.

Et quæ contrariis sint minus admixta, magis talia sunt: uerbi gratia id candidius est, quod sit minus admixtum [c] nigrori.

[c] nigrorē, non nigredinē dixımus, bonos Latini sermonis auctores secuti.

68 Ille etiam locus, qui sumebat, bonum quod malo sit minus admixtum, magis expetendum esse eo, quod admixtum sit, in generaliorem conuertitur. Badē igitur bona [a] dicebat cum indolētia copulata, magis expetēda esse, quàm cū dolore: hic verò generaliter inquit, illa esse magis talia, quæ sint minus admixta contrariis. quare illud magis album est, quod sit minus admixtum contrario: eademque ratio est eius, quod dulce, aut iucundum sit, & aliorum similium, si aliquid est iis contrarium. Potest verò etiam hic locus ex eo mutatus esse, qui in [b] postremis ponebatur, cum ipse aiebat: ex eo etiam argumenta sumuntur, si rem propositam æquè fugiendam ac expetendam esse ostendamus.

[a] Comm. 24.

[b] Comm. 61.

ADNOTATIONES.

Et quæ contrariis sint minus admixta] *Nulli ex ijs locis, quos refert Alexander, videntur mihi hæc verba respondere: ad locum autem 35. puto ea omnino pertinere, vbi hoc tradebatur:* καὶ τὸ τοῖς κακοῖς ἀκοινωνητότερον: *verbum enim* ἀκοινωνητότερον, *idem valere existimo, atque illud* ἀμιγέστερον.

Ἔτι παρὰ τὰ εἰρημένα πρότερον, τὸ μᾶλλον ἐπιδεχόμενον τὸν οἰκεῖον τοῦ προκειμένου λόγον. οἷον εἰ τοῦ λευκοῦ ἐστι λόγος, χρῶμα διακριτικὸν ὄψεως, λευκότερον, ὅ ἐστι μᾶλλον χρῶμα διακριτικὸν ὄψεως.

Sed præter ea quæ antea dicta sunt, illud quod propriā propositæ rei definitionem sibi magis vendicat: verbi gratia, si candoris hæc sit definitio, color aspectum dissipās, is candidior color erit, qui magis aspectum dissipauerit.

69 Ad eos locos comparationis, qui expositi sunt, hunc modò adiungit, qui à definitione sumitur: eius enim, cùm de rerum expetendarum inter se compara-

tione

tione ageret, non meminit. Ergo quod propositæ rei definitionem sibi magis vendicat, magis tale est: magis quidem album, quod albedinis definitionem magis recipit, nempe is color, qui magis aspectum dissipat; etenim album est id, quod colore suo diffundit aspectum: magis autem dulce, quod dulcedinis definitionem magis obtinet: magis item ex his expetendum, quod rei expetendæ definitionem sibi magis adsciscit: similiter magis iucundum, quod iucunditatis seu voluptatis. Hunc autem locum inter eos, qui aliquid magis expetendum esse demonstrāt, idcircò fortasse non exposuit, quòd neque eius, quod dicimus esse expetendum, neque boni, vna est definitio: bona namque, & illa quę sunt expetenda, numerantur in iis, quæ multis modis dicuntur.

Ἂν δ' ἐπὶ μέρους, καὶ μὴ καθόλου τὸ πρόβλημα τεθῇ, πρῶτον μὲν οἱ εἰρημένοι καθόλου ἢ κατασκευαστικοὶ ἢ ἀνασκευαστικοὶ τόποι πάντες χρήσιμοι. [a] καθόλου γὰρ ἀναιροῦντες ἢ κατασκευάζοντες, καὶ ἐπὶ μέρους δείκνυμεν. εἰ γὰρ παντὶ ὑπάρχει, καὶ τινί, καὶ εἰ μηδενί, οὐδὲ τινί. μάλιστα δ' ἐπίκαιροι καὶ κοινοὶ τῶν τόπων, οἵ τε ἐκ τῶν ἀντικειμένων, καὶ τῶν συστοίχων, καὶ τῶν πτώσεων. ὁμοίως γὰρ ἔνδοξον τὸ ἀξιῶσαι, εἰ πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθόν, καὶ λύπην πᾶσαν εἶναι κακόν, τῷ εἴ τις ἡδονὴ ἀγαθόν, καὶ λύπην εἶναί τινα κακόν. ἔτι εἴ τις αἴσθησις μὴ ἐστι δύναμις, καὶ ἀναισθησία τις, οὐκ ἔστιν ἀδυναμία. καὶ εἴ τι ὑποληπτὸν ἐπιστητόν, ὑπόληψίς τις ἐπιστήμη. πάλιν εἴ τι τῶν ἀδίκων ἀγαθόν, καὶ τῶν δικαίων τι κακόν. καὶ εἴ τι τῶν ἀδίκως κακόν, καὶ τῶν δικαίως τι ἀγαθόν. καὶ εἴ τι τῶν ἀδίκως κακόν, καὶ τῶν ἀδίκων τι κακόν. καὶ εἴ τι τῶν ἡδέων φευκτόν, καὶ ἡδονή τις φευκτόν. κατὰ ταυτὰ δὲ καὶ εἴ τι τῶν ἡδέων ὠφέλιμον, καὶ ἡδονή τις ἀγαθόν.

a hoc expreßit M. Tul. cum in lib. de perfecto Ora. inquit. Latius. n. de genere, quàm de parte disceptare licet: vt quod in vniuerso sit probatū, id in parte sit probari necesse.

Quòd si quæstio non in toto genere, sed in parte ponatur, primùm quidem vtiles sunt loci omnes generales ad confirmādum vel refellendum idonei, quos exposuimus. Siquid enim in toto genere vel euertendo vel cōfirmando probamus, id etiā in parte probari necesse est: nam si aliquid omni conuenit, etiā alicui; & si nulli, nec item alicui. Maximè autem opportuni communesque loci sunt ii, qui ex contrariis, & ex coniugatis, & ex casibus sumuntur. Aequè enim probabile est enūciare, si omnis voluptas sit bonum, etiā dolorem omnem esse malum, ac, siqua voluptas sit bonum, etiam dolorem aliquem esse malum. Præterea, siquis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus ortas erit imbecillitas. Quòd si aliquid opinabile potest sciri, aliqua etiam opinio erit scientia. Itemque, siquid iniustū sit bonū, aliquid etiam iustum erit malum: & siquid eorum quæ iniustè fiunt, malum est, aliquid etiā eorum quæ iustè fiunt, erit bonū: & siquid eorum quæ iniustè fiunt, malum est, aliquid etiā iniustum erit malum. Et siquid iucūdum sit fugiendum, aliqua etiā iucunditas erit fugienda: eodemque modo siquid iucūdum sit vtile, aliqua etiam iucunditas erit bonum.

70 Postquàm in secundo libro & in hoc tertio egit de quæstionibus generalibus, quæ ad accidens referūtur, vel cum [b] simpliciter aliquid in iis quæritur, vel cum comparatè, &, qui loci ad illas accommodati sint, explicauit: nunc de quæstionibus comparationis non amplius loquitur, sed illud agit vt ostendat, quomodo locis iis qui traditi sunt, ad confirmandas vel refellēdas quæstiones, quæ non in toto genere, sed in parte generis afferuntur, vti possimus. Primùm verò id docet, quod & initio secundi libri admonuit, locos generales non solùm

b Sic & M. Tullius in Topicis.

ad quæstiones de genere vtiles esse, sed etiam ad illas de parte: per quem enim locum comprobatur genus, per eundem etiam comprobantur partes; & per quem genus refellitur, per eundem refelluntur & partes. Ergo si quęstio de parte proposita sit, loci generales ad illam vtiles erunt: nam si quęratur, sit ne hęc voluptas bonum, qui probauit omnem voluptatem esse bonum, probauit etiã hoc de illa, quæ in quęstionem vocatur. quòd si propositum sit ad demonstrandum, quandam voluptatem non esse bonum: qui nullam probauit, ne hãc quidẽ quæ proponitur, bonum esse, demonstrat. Hac autem de re meminit etiam, vt dixi, initio secundi libri, cum inquit. *Quæ generaliter ad confirmandum vel infirmandum valent, communia sunt vtrique quæstionum generi*: nunc verò de illa apertius explicauit. [Cùm autem dixisset, locos omnes generales ad quæstiones etiã de parte accommodari, quòd omne id quod in toto genere probatur, in partibus quoque quę sub illo continentur, probetur: maximè opportunos cõmunesque locos ad quæstiones tùm de genere tùm de parte generis confirmandas vel refellendas eos esse inquit, qui ex contrariis, & ex coniugatis, & ex casibus sumantur. Neque enim omnia, quæ in parte proponuntur, generum vniuersorũ ope probari possunt: propterea quòd singula quędã reperiuntur, quę per se vera sunt vel falsa, ita vt ad illorum confirmationem propriis quibusdam locis opus sit. Ad probandum verbi gratia, aliquem hominem esse musicum, non possumus ea propositione vti, quòd omnis homo sit musicus; quandoquidem hoc verum non est: nec item ad ostendendum, aliquem nõ esse grãmaticum, ea, quòd nemo. ¶ Quoniam verò quatuor sunt c contrariorum genera: in vnoquoque genere pręter quàm in eo, quod ex contradictione appellatur, ostendit, vnum & eundem locum similiter in quæstionem de parte generis, atque in eam de toto genere conuenire, transferendo de hac in illam argumentum: id autem in iis, quæ aduersa nominantur, primùm exponit. Aequè enim (inquit) probabile est, si quæratur sit ne omnis dolor malum, effari, si omnis voluptas sit bonum, etiã dolorem omnem esse malum, qui quidem est locus generalis ab aduersis sumptus, ac, si quæratur sit ne aliquis dolor malum, enunciare, siqua voluptas sit bonum, etiam dolorem aliquem esse malum. voluptas autẽ quę ex honestis actionibus capitur, bonum est; dolor, malum. Quamobrem si quęstio generalis sit, & quæratur sit ne omnis dolor malum, probabile est ex aduerso generaliter argumentari, hunc in modum: si omnis voluptas sit bonum, & omnis dolor erit malum. quòd si quæstio afferatur in parte, & quęratur, sit, nec ne sit aliquis dolor malum, nihil minus probabile est enunciare, siqua voluptas sit bonum, etiã dolorem aliquem esse malum. [Deinceps verò ostendit, locos sumptos ab illis contrariis, quæ priuantia appellantur, non minus quæstionibus de parte generis, quàm iis, quę in toto genere proponuntur, esse aptos: verùm de illis quidẽ mentionem facit, has autem silentio præterit, perinde ac de iis in superioribus locutus sit. Contraria verò quæ vocantur priuantia, sunt verbi caula sensus, & sensus d orbitas: loquens autem de quæstionibus quæ in parte generis afferuntur, inquit, siquis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus orbitas erit imbecillitas: nam si docere instituimus, alicuius sensus orbitatem non esse imbecillitatem, hoc concludemus, si sumamus aliquem sensum non esse facultatem. Quòd si propositum generale comprobare volumus, omnium sensuum orbitatem esse imbecillitatem: profectò si in habitu contrarium etiam generaliter sumamus, omnem sensum esse facultatem, omnium sensuum orbitatem imbecillitatem esse, à nobis probatum erit: ἀξίωμα enim, idest effatum, siue pronunciatum, similis est in vnoquoque problemate. Porrò autem si nobis ostendere statutũ

c Nos M. Tullium in Topicis secuti, ἀντικείμενα vertimus contraria, & τὰ ἐναντία, aduersa.

d Quemadmodum orbare aliquem sensibus, pro eo quod est ἀναισθητον ποιεῖν, dixit Cicero in Lucullo, ita nos ἀναισθησίαν sensus orbitatem reddidimus.

statutum esset, nullius sensus orbitatem esse imbecillitatem; sumeremus nullũ sensum facultatem esse: huic enim consequens est exemplum illud quod adposuit, siquis sensus non est facultas, nec etiam alicuius sensus orbitas erit imbecillitas: & sanè, cuius sensus habitum facultatẽ non esse sumitur, illius nec etiã orbitas erit imbecillitas. [Postremò affert exemplum eorum contrariorũ, quę cum aliquo conferuntur, siue (si placet ita vertere) ad aliud referuntur; atque in quęstione de parte generis demonstrat, posse argumentum de toto genere in partem transferri. Si quæratur igitur, sit ne aliqua opinio scientia, ex cõtrario ita quispiam argumentationem conficiet: si aliquid opinabile potest sciri, aliqua etiam opinio erit scientia: opinio enim rei opinabilis est. Quòd si quæstio esset generalis, & quęreretur num omnis opinio sit scientia, sumeretur id quod opinioni contrarium est, nempe opinabile in vniuersum, ad hunc modũ: si, quicquid opinabile est, id etiam potest sciri, & omnis opinio erit scientia. [Eorum autem contrariorum, quæ aientia & negantia nuncupantur, non meminit, proptereà quòd contradictio in partibus locum non habet: neque enim huic dicto, aliquid est, aduersatur illud, aliquid non est, quòd repugnantia ex contradictione versatur in generibus vniuersis, atque in iis quæ vniuersis generibus subiecta illis aduersantur. quapropter qui propositionem quę vniuersè affirmat, in aliquo falsam esse ostendit, is eam quæ in parte negat, veram in illo esse demõstrat: contràque, qui hanc falsam demonstrat, illam veram ostendit. eademque ratio est negationis vniuersę, & affirmationis in parte. At qui affirmationem in parte falsã esse probat, is nõ idẽ hoc in negatione quę est ĩ parte, probat, nisi quatenus hæc sub vniuersa continetur: neque enim qui aliquem hominem musicum esse demonstrat, aliquem etiam non esse musicum demonstrat. ¶Cùm autẽ de contrariis locutus esset, & quomodo iidem loci ad quęstiones de toto genere ac de parte generis, apti sint, ostendisset: docet postea, quâ ratione effici possit, vt locus qui à casibus sumitur, in quęstionem quoque de parte generis conueniat, & in illam incidat. Casus igitur huius vocis, iustum, est, iustè: quòd si in parte quæratur, sit ne aliquid iniustum bonum, à casibus ita quispiam argumentabitur: siquid eorum quæ iniustè fiunt, bonum est, aliquid etiam iniustũ erit bonum. Sed si generatim atque vniuersè quęreretur, sit ne, quod iniustum est, bonũ, casus sĩpliciter sumeretur, hũc ĩ modũ: si, quod iniustè fit, benè fit, & quod iniustũ est, bonũ est: vt. n. in quæstione de parte generis sumitur id quod ĩ parte est, sic in ea quæ de toto genere proponitur, genus vniuersũ accipitur. [Deĩde verò exponit, quomodo locus à cõiugatis ad easdem quæstiones de parte generis accommodetur. Coniugata sunt, fortitudo, fortis, fortiter, forte: item, iucũditas, iucunditatem percipiens, iucũdè, iucundum, & huius generis omnia, quæ scilicet inter se ita se habent, vt in superioribus dictum fuit. quære si in parte quæratur, sit, necne sit aliqua iucunditas fugienda, à coniugato eiusmodi argumentum ducetur: siquid iucundum sit fugiendum, & aliqua e iucunditas erit fugienda. eodemque modo, siquid iucundum sit vtile, & aliqua iucũditas erit bonum: nam quod vtile est, bonum est. Quòd si simpliciter atque vniuersè de omni iucunditate quæreretur, fugiẽda ne sit: simpliciter etiam atq; vniuersè sumeretur, si omnia quæ iucunda sunt, fugienda sunt, & omnem iucunditatem fugiendam esse.

e καὶ ἡδονή τις φαυλὸν. ita ex cõiectura mẽdosũ locũ castigaui, cùm cod. Med. ab impressis nõ discrepet.

Καὶ ἐπὶ τῶν φθαρτικῶν δὲ, καὶ τῶν γενέσεων καὶ φθορῶν, ὡσαύτως. εἰ γὰρ τὸ φθαρτικὸν ἡδονῆς, ἢ ἐπιστήμης ὄν, ἀγαθόν ἐστι, εἴη ἂν τις ἡδονὴ ἢ ἐπιστήμη τῶν κακῶν. ὁμοίως δὲ καὶ εἰ φθορά τις ἐπιστήμης τῶν ἀγαθῶν, ἢ ἡ γένεσις τῶν κακῶν, ἔσται τις ἐπιστήμη τῶν κακῶν. οἷον εἰ τὸ ἐπιλανθάνεσθαι ἅ τις αἰσχρὰ ἔπραξε, τῶν ἀγαθῶν, ἢ τὸ ἀναμιμνήσκεσθαι τῶν

κακῶν, εἴη ἂν τὸ ἐπίστασθαι ἅ τις αἰσχρὰ ἔπραξε, τῶν κακῶν. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων· ἐν ἅπασι γὰρ ὁμοίως τὸ ἔνδοξον.

Simili quoque modo argumentandum est ab iis, quæ interimendi vim habent, adeoque ab ipsis tùm procreationibus, tùm interitibus. Siquid enim, quod voluptatis aut scientiæ interimendæ vim habet, bonum sit, aliqua voluptas aut scientia in malis erit. Itemque, si aliquis scientiæ interitus sit in bonis, aut procreatio in malis, aliqua scientia in malis erit: vt si obliuisci rerũ turpium, quas aliquis fecit, bonum sit, uel recordari malum, scire res turpes quas aliquis fecit, malum erit. Non secus se res habet in aliis, propterea quòd eadem ratio probabilitatis ualet in omnibus.

71 Locos sumptos ab iis quæ interimendi vim habent, adeoque ab ipsis tùm procreationibus tùm interitibus, non secus ac illos qui à contrariis, à casibus, & à coniugatis sumuntur, maximè opportunos cõmunesque esse inquit ad quęstiones de parte generis vel confirmandas vel refellendas: eademque probabilitatis ratio valet in illis, atque in iis quę de toto genere proponuntur. Vt enĩ generaliter probabile est, si omne id quod interimendæ voluptatis vim habet, bonum sit, omnem voluptatem esse malum: sic etiam probabile est, si, quod alicuius voluptatis interimendæ vim habet, bonum sit, aliquã voluptatem esse malum. Nam in proximo superiore libro statuebatur, quorum causæ interimentes sint in bonis, ea esse mala, & quorum illæ in malis, hæc bona: contrà verò in generantibus se rem habere. Idem autem in interitu, quod in causis interimentibus, contingit. Causa verò interimens scientię, est verbi gratia obliuio; interitus autem, ignoratio: & valetudinis causa interimens est, cibo ac potione repleri: is interitus, ipsę morbus. Eadem autem ratio valet in scientia: nam vt in vniuersum probabile est, si,[a] quod vim habet interimendæ sciẽtiæ, bonum sit, scientiã esse malum: sic etiam probabile est, si, quod alicuius scientiæ interimendæ vim habet, bonum sit, aliquam scientiam esse malum. Atque hæc quidem sint exempla loci, qui sumitur ab iis, quæ interimendi vim habent. [Locorum autem qui ab interitibus & procreationibus sumuntur, exempla quidem generalia eiusmodi erunt. si interitus scientię sit bonum, scientia erit malum: & si scientiæ procreatio sit in malis, scientia quoque in malis erit. Locus enim ab interitu talis est: cuius rei interitus sit bonum, illa est malum; & cuius interitus malum, illa bonum, vt diximus. is autem qui à procreatione sumitur, ita se habet: cuius procreatio malũ, illud etiã malũ; & cuius procreatio bonũ, & illud bonum. Exẽpla igitur locorũ generalia sunt hęc: sed ipse ea non adposuit, quòd de illis antea locutus esset. Exempla verò quæ partium generis afferuntur, de quibus in præsentia verba facit, dum ostẽdit locos à procreatione & interitu ad has quoque accõmodari, eiusmodi sunt. si[b] aliquis sciẽtiæ interitus sit in bonis, vel procreatio in malis, aliqua scientia in malis erit: amborũ autẽ locorũ exẽplũ simul posuit. Quare si obliuisci rerum turpium, quas aliquis fecit, bonum sit, scire res turpes quas aliquis fecit, malum erit. Atque hoc quidem sit exemplum loci, qui sumitur ab interitu; & iis quæ interimendi vim habent: scientiæ namque ac cognitionis interimendæ vim habet, obliuisci (nomen verò scientiæ pro cognitione communiter vsurpauit) ipsius autem interitus est, oblitum esse. Eius verò, qui à procreatione, huiusmodi est. si flagitiorum alicuius recordari, malum, & illa

a εἰ τὸ ἐπιστήμης φθαρτικὸν ἀγαθὸν, ἐπιστήμη κακὸν. ita videtur esse legendum: nam illæ voces, κακῆς & τις, quæ & in codi. Medi. retinentur, ociosæ sunt.

b εἰ φθορά τις ἐπιστήμης τῶν ἀγαθῶν, ἢ ἡ γένεσις τῶν κακῶν. hæc emendata scriptura est.

illa scire, malum: recordatio enim est quędam scientiæ procreatio ¶ Non secus (inquit) se res habet in aliis: propterea quòd eadem probabilitatis ratio valet in singulis quæstionibus, atque in vniuersis. Sed fortasse illud, *in aliis*, ad exépla retulit: neque enim in iis dumtaxat quæ posita sunt, sed etiam in aliis, si afferantur, verum est illud quod dicitur, cuius causa interimens est expetenda, illud fugiendũ esse; & cuius procreatio malũ, illud etiam malum: hi ergo loci nõ in sola scientia veritatem obtinent. Vel cum dicit, *in aliis*, ea intelligit, quę procreationi & interitui comitantur: nempe efficientia, usus, & adeptiones. Statuebatur enim, illud, cuius efficiens sit bonum, esse bonum; & cuius vsus, vel adeptio sit expetenda, illud quoque expetendum esse. Quemadmodum autem illud, cuius causa interimens sit bonum, malum est: sic contrà illud, cuius causa interimens, vel interitus, sit malum, bonum est. Et in his igitur eandem probabilitatis rationem valere inquit, tùm quæstionibus vniuersis, tùm etiam singulis explicandis.

Ἔτι ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ ὁμοίως. εἰ γὰρ μᾶλλον μὲν τῶν δ᾽ ἄλλου γένους τι τοιοῦτον, ἐκείνων δὲ μηδέν ἐστιν, οὐδ᾽ ἂν τὸ εἰρημένον εἴη τοιοῦτον. οἷον εἰ μᾶλλον μὲν ἐπιστήμη τις ἀγαθὸν ἢ ἡδονή, μηδεμία δὲ ἐπιστήμη ἀγαθόν, οὐδ᾽ ἂν ἡδονὴ εἴη. Καὶ ἐκ τοῦ ὁμοίως δὲ καὶ ἧττον, ὡσαύτως· ἔσται γὰρ καὶ ἀναιρεῖν καὶ κατασκευάζειν· πλὴν ἐκ μὲν τοῦ ὁμοίως, ἀμφότερα· ἐκ δὲ τοῦ ἧττον, κατασκευάζειν μόνον, ἀνασκευάζειν δὲ, οὔ. εἰ γὰρ ὁμοίως δύναμίς τις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη, ἔστι δέ τις δύναμις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη ἐστίν. εἰ δὲ μηδεμία δύναμις, οὐδ᾽ ἐπιστήμη. εἰ δὲ ἧττον δύναμίς τις ἀγαθὸν, ἢ ἐπιστήμη, ἔστι δέ τις δύναμις ἀγαθὸν, καὶ ἐπιστήμη. εἰ δὲ μηδεμία δύναμις ἀγαθὸν, οὐκ ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην μηδεμίαν εἶναι ἀγαθόν. δῆλον οὖν ὅτι κατασκευάζειν μόνον ἔστιν ἐκ τοῦ ἧττον.

Præterea, à maiore, à minore, & à simili. Siquid enim eorum, quæ ex alio genere sunt, magis quidem sit tale, illorum autem nihil sit: efficitur, vt neque id quod expositum est, sit tale: vt si aliqua scientia magis bonũ sit quàm voluptas, nulla autem scientia sit bonum, ne voluptas quidem bonũ erit. Eodemque modo à simili, & à minore: nam & euertere, & confirmare licebit: nisi quod ex simili vtrumque efficietur, ex minore autem, astruere solùm, non etiam destruere. Si enim facultas aliqua similiter bonum sit, & scientia, aliqua autem facultas sit bonum: & scientia bonum erit. quòd si nulla facultas, nec etiam scientia. Si verò facultas aliqua minus quàm scientia bonum sit, aliqua autem facultas sit bonum: & scientia bonum erit. quòd si nulla facultas, non necesse est ne vllam quidem scientiam esse bonum. Constat igitur, locum ex minore vim tantùm ad confirmandum habere.

72 Ex locis à maiore, à minore, & à simili, qui traditi sunt, is qui à maiore sumitur, ad destruendum tantùm valet: si enim, quod magis aliquid est, illud non est, ne id quidem quod minus: is verò qui à minore, ad confirmandum: nam si, quod minus aliquid est, illud est, etiam quod magis. is autem qui à simili, ad vtrumque est vtilis, ad confirmandum scilicet & destruendum: si enim, quod similiter atque aliquid aliud, est, illud est, & id quod cum ipso similitudinem habet, illud erit: item, si, quod similiter atque aliquid aliud, est, illud non est, nec

etiam id quod cum ipso similitudinem habet.[Hos igitur cōmemoratos locos non minus in singulis quæstionibus, quàm in vniuersis, probabilitatem habere inquit: verùm de illorum diuersitate mentionem non facit, quam, cùm eos in proximo superiore libro traderet, exposuit: vbi docuit, aut vnum, quod contingere illis dicatur, cum duobus comparari; aut duo cum vno, quę duo illi eidem euenire credantur; aut duo cum duobus, eis separatim contingentia. hic tamen exemplo vtitur, in quo vnum ad duo refertur: bonum namque in exemplo allato cum scientia & voluptate comparatur.[a] Sed possumus etiam hoc eodem loco vti, si duo ad vnum referantur: nam si aliqua iniuria, quæ est magis vtilis quàm iucunda, vtilis non sit, nec etiam erit iucunda. Quid? potest etiam duorũ duabus rebus contingentium comparatio fieri, hunc in modum: si aliqua effusio magis est liberalitas, quàm aliqua stultitia temperantia; & tamen primũ nõ est, ne id quidem, quod secundum. In quęstionibus autem de parte generi subiecta, primus locus eorum qui à maiore traditi sunt, argumentandi ansam præbere non potest, cuius tale exemplum erat: si[b] voluptas simpliciter est bonũ, maior quoque voluptas maius bonum erit. ¶Rursus verò & in his locis quæstionũ generalium non meminit, perinde quasi de iis iam locutus sit: singularum autẽ cũ illis similitudinem patefacit. Primùm verò hoc ostẽdit ĩ eo loco, qui à maiore sumitur, & ad refellendum valet. exemplum igitur quæstionis generalis eiusmodi est: si scientia voluptati præstat, & scientia bonum non est, quanto minus erit voluptas? Illud autem, quod ad quæstionem de parte generis pertinet, ipse sic exponit. *si quid eorum, quæ ex alio genere sunt, magis quidem sit tale, illorum autem nihil sit: efficitur, vt neque id quod expositum est, sit tale*. Quid autem sit, *ex alio genere*, exẽplo declarat, cum inquit: *vt si aliqua scientia magis bonum sit quàm voluptas, nulla autem scientia sit bonum, ne voluptas quidem bonum erit*: aliud enim genus est scientia, aliud voluptas. Si simpliciter igitur sumptum esset, si scientia magis quàm voluptas bonum sit, id de diuersis generibus vniuersè dictũ esset, quemadmodum & si diceretur, si hoc genus magis quàm illud tale sit, verbi gratia scientia magis quàm voluptas: hunc verò cùm particulas illas addiderit, *aliquid*, & *aliqua*, quæstionem non generalem, sed generi tamquã partem subiectam effecit. Verùm licet quæstio de parte sit, eam tamen refellens generatim atq; vniuersè inquit, *nulla autẽ scientia sit bonũ*: propterea quòd quæ in parte affirmant, non aliter euerti possunt, si interminatè posita simpliciter debeant euerti, quàm per id quod vniuersè negat, vt ipsemet ĩ eprogressu docebit.[Hic autem locus qui à maiore sumitur, non solùm in diuersis generibus vim suã obtinet, sed etiam in iis quę sub eodem genere continentur: nam si eorum quæ eidẽ generi subiiciuntur, id, quod maximè tale esse videtur, quis accipiat, ac nõ esse tale ostendat, ne vllum quidem aliud eorum quę in eodem genere includuntur, esse tale, demonstrabit: vt si, quod maximè tale esse videtur, nõ sit tale, nec etiã aliud quidquã eorum, quæ in eodem genere insunt, erit tale. Si exempli gratia voluptas, quę maximè videatur esse quiddam optimũ, nempe ea quæ animi propria est, non est optimum quiddam, ne vlla quidem alia optimum erit. Præterea, si ex [d] cõtingentibus illud, quod maximè videtur posse sciri, sciri non potest: ne vllum quidem aliud contingentium genus sciri poterit. Illud autem contingens maximè sciri posse videatur, quod plerumque contingit: ergo si hoc sciri non potest, nec etiam quoduis aliud contingens. Item, nullus sensus est scientia, cùm is non sit, qui maximè esse videtur, nimirũ [e] sensus videndi. Sic neque vir quispiã perturbationibus vacat, quia nec ille, qui maximè videtur vacare, nẽpe vir bonus. Sed & ipse paulò pòst docebit, posse in [f] eodem genere argumẽtationem

[a] ἔνεστι ὁμοίως χρῆσθαι. ex coniectura ita reposui: quod postea confirmauit cod. Med.

[b] εἰ ἡ ἡδονὴ ἁπλῶς ἀγαθὸν, καὶ ἡ μᾶλλον ἡδονὴ μᾶλλον ἀγαθόν. sic legẽdum est, ordine verborũ variato.

[c] Comm. 75.

[d] Hoc nomine vsi sumus, ne, si idẽ pluribus verbis significaretur, res obscura fieret.

[e] Oculorum.n. vt inquit Plato in Phædro, est in nobis sensus acerrimus. Cice. 2. de Fini. item 2. de Orat.

[f] ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ γένους. sic castigaui, cùm mendosè legeretur, ἐπὶ τοῦ δὲ τοῦ γένους.

nem ex maiore confici ad refellendum. ¶ Quemadmodum autem locum, qui ex maiore appellatur, & ad destruendũ vim habet, ĩ quæstionibus quoque de parte generis tractari posse affirmat: sic etiam iis, qui ex minore, & ex simili vocantur, easdem quæstiones tùm euerti tùm confirmari licere testatur. Sed hi discrepant inter se, quòd is qui à simili sumitur, valet, vt anteà traditum fuit, & ad firmandum & ad infirmandum: ille autem qui à minore, ad firmandum tantùm, quemadmodum & qui à maiore, ad infirmandum. Adponit verò etiam exẽpla, quibus declarat, locum sumptum à simili, non minùs in singulis quæstionibus quàm in vniuersis, & ad astruendum & ad destruendum vtilem esse: illum verò qui à minore, ad astruendum solùm. Hunc igitur ad redarguendum adhiberi nõ posse, demonstrat: posito namque hoc, si facultas aliqua minus quàm sciẽtia bonum sit; si assumatur aliquam facultatem esse bonum, scientiam quoque bonum esse, ostenditur atque confirmatur. Quòd si assumatur nullam facultatem esse bonum; ne scientiam quidem esse, non ostenditur: neque enim necesse est, si quod minus aliquid est, non sit, ne id quidem esse, quod magis: queadmodum contrà necesse est, si quod minus aliquid est, sit, illud etiam esse, quod magis. ¶ Exemplum verò quo vsus est, in his etiam posterioribus locis vnum continet, quod cum duobus comparatur: bonum namque cum facultate atque scientia confertur.

ADNOTATIONES.

Præterea, à maiore, à minore, et à simili] *Locum, quem hic Aristoteles* ἐκ τοῦ ὁμοίως *appellat, nos autem, ex simili, reddidimus, Cicero in II. libro de Oratore, ex pari, vocauit: eũque cum locis ex maiore et minore, quẽadmodũ et hic philosophus, cõiunxit: inquit enim.* Maiora autem & minora & paria comparabimus sic. ex maiore. Si bona existimatio diuitiis pręstat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? ex minore sic.

Hic paruæ consuetudinis
Causa huius mortem fert tàm familiariter:
Quid si ipse amasset: quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic. est eiusdẽ & eripere cõtra rempublicã, & largiri pecunias. *Terentius in Heautontimor. cùm Chremetem ita de Menedemo cum filio suo loquentem induxit, ex maiore argumentatus est.* Fortasse aliquanto iniquior erat præter eius lubidinem: Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum? *Idem in Andria à minore argumentum sumpsit, cum inquit.* Nam si illum obiurges, vitæ qui auxiliũ tulit, Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? *Item Aristot. lib. IIII. Ethi. ad Nicom. cap. III. cùm virũ magnanimũ in diuitiis & principatu, et in omni denique bona, vel aduersa fortuna moderatũ se præbere dixisset, nec in rebus quidem prosperis efferri lætitia, in contrariis autem mœrore contrahi, ex maiore argumentum duxit: inquit enim.* οὐδὲ γὰρ περὶ τιμὴν οὕτως ἔχει, ὡς μέγιστον ὄν. αἱ γὰρ δυναστεῖαι, καὶ ὁ πλοῦτος, διὰ τὴν τιμήν ἐστιν αἱρετά· οἱ γοῦν ἔχοντες αὐτὰ, τιμᾶσθαι δι' αὐτῶν βούλονται. ᾧ δὴ καὶ ἡ τιμὴ μικρόν ἐστι, τούτῳ καὶ τἆλλα. *quasi dicat: si moderatè fert honores, quod permirum videtur, cùm honores sint maxima externorum bonorum, moderatius multò feret opes, potentiam, & huiusce modi alia, quæ honoris gratia expetuntur.*

οὐ μόνον δὲ ἐξ ἄλλου γένους ἔστιν ἀνασκευάζειν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, λαμβάνοντα τὸ μάλιστα τοιοῦτον. οἷον εἰ κεῖται ἐπιστήμη τις ἀγαθὸν, δειχθείη δ' ὅτι φρόνησις οὐκ ἀγαθὸν, οὐδ' ἄλλη οὐδεμία ἔσται, ἐπεὶ οὐδ' ἡ μάλιστα δοκοῦσα.

Non solùm autem ex alio genere licet refellere, sed etiam ex eodem, siquis sumat, quod sit maximè tale: vt si aliqua scientia

bonum esse ponitur, prudentia autem bonum non esse ostenditur, nec ulla etiam alia erit, quippe cùm ne ea quidem, quæ maximè videatur.

73 Locum, qui ex maiore appellatur, & ad refellendum vim habet, non solùm in diuersis generibus tractari posse, vt antea dixit, sed etiam in eodem, docet: quod & nos pluribus exemplis positis iam demonstrauimus. ¶ In exemplo autem quod hic affertur, illud communiter pronunciauit, *vt si aliqua scientia bonū esse ponitur, prudentia autem bonum non esse ostenditur*, perindo ac virtutes sint scientiæ. Sed non minus accõmodatum exemplum erit, siquis virtutes eò non esse scientias ostendat, quòd ne prudentia quidem, quę ex virtutibus maximè videtur scientia. ¶ Verba autem quę ab ipso ponuntur, idem valent ac si dicatur: si quęratur, sit ne aliqua scientia bonum, hoc est, sit ne aliqua virtus bonum; & illa scientia, hoc est illa virtus, quæ maximè videtur bonum, bonum non esse demonstretur: ne vlla quidem alia virtus bonum erit.

Ἔτι δὲ ὑποθέσεως ὁμοίως ἀξιοῦντα, εἰ ἑνί, καὶ πᾶσιν ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν. οἷον εἰ τοῦ ἀνθρώπου ἡ ψυχὴ ἀθάνατος, καὶ τὰς ἄλλας; εἰ δὲ αὕτη μή, μηδὲ τὰς ἄλλας. εἰ μὲν οὖν ὑπάρχειν τινὶ κεῖται, δεικτέον ὅτι οὐχ ὑπάρχει τινί: ἀκολουθήσει γὰρ διὰ τὴν ὑπόθεσιν τὸ μηδενὶ ὑπάρχειν. εἰ δὲ τινὶ μὴ ὑπάρχον κεῖται, δεικτέον ὅτι ὑπάρχει τινί: καὶ γὰρ οὕτως ἀκολουθήσει τὸ πᾶσιν ὑπάρχειν. δῆλον δ' ἐστὶν, ὅτι ὁ ὑποτιθέμενος ποιεῖ τὸ πρόβλημα καθόλου ἐπὶ μέρους τεθέν. τὸν γὰρ ἐπὶ μέρους ὁμολογοῦντα, καθόλου ἀξιοῖ ὁμολογεῖν, ἐπειδὴ εἰ ἑνί, καὶ πᾶσιν ὁμοίως ἀξιοῖ ὑπάρχειν.

Præterea ex hypothesi, si enuncietur, pari ratione si cui conueniat, etiam omnibus conuenire, aut non conuenire: vt si hominis animus sit immortalis, etiam ceterorum: quòd si non hic, ne ceterorum quidem esse. Si igitur res alicui conuenire ponatur, eam alicui non conuenire, docendum est: nam ex hypothesi sequetur, nulli conuenire. Quòd si alicui nõ conuenire ponatur, eam alicui conuenire, monstrandum est: quandoquidem & sic sequetur, conuenire omnibus: Illud autem perspicuum est, eũ qui hypothesi vtatur, quæstionem efficere generalem, cùm fuerit in parte posita: illũ enim vult qui partem concedat, totũ etiam concedere; siquidem si vni, pari ratione æquum putat cõuenire omnibus.

74 Cùm suprà, quinã loci[a] priuatis ac singularibus quæstionibus apti essent, exponeret, primùm quidem docuit, quęstiones quæ in parte generis afferũtur, per eosdem locos probari vel reprehendi, per quos vniuersas, quòd illæ in his includantur: deinde verò locos eos recensuit, qui eandem in singulis quæstionibus, ac in vniuersis, probabilitatis rationem habent; & ostendit, posse nos ex iis pariter ad vtrũque genus argumenta sumere. His ita explicatis, eum qui ex hypothesi appellatur, nunc exponit: quem & ipsum non minus in singulares, quàm in vniuersas quæstiones conuenire demõstrat. Vtendum est igitur (inquit) loco qui ab hypothesi sumitur, in quæstionibus quæ de parte generis proponuntur: sed quis sit locus ex hypothesi, declarauit ipse, cum addidit: *si enuncietur, pari ratione si cui conueniat, etiam omnibus conuenire*, [b] *aut non conuenire*: hic enim locus tùm ad confirmandũ, tùm ad refellendũ vim habet. Si quæratur igitur, sitne omnis animus immortalis: quæstio generalis erit & vniuersa, nosque locum ex hypothesi adhibebimus, enunciando, si vnus esse ostendatur, etiam ceteros eo-

dem

a *Sic videtur interpretari vocem καθ' ἕκαστα, vel τὸ ἐπὶ μέρους Cicero in III. lib. de Oratore, cum inquit. Ornatissimæ sunt igitur orationes eæ, quæ latissimè uagantur, et à priuata ac singulari controuersia se ad vniuersi generis vim explicandam conferunt & cõuertunt: &cet.*

b ἢ μὴ ὑπάρχειν. *hæc verba restituimus, quæ manifestò in Græco cod. etiam manuscripto, desiderabātur, ut, quæ sequũtur, declarāt.*

dem modo se habere. quare si hominis animũ immortalem esse probauerimus, id vi hypothesis erit etiam de ceteris à nobis probatum. Quòd si refellere volumus, si vnum immortalem non esse sumpserimus, ne ceteri quidem erunt. ergo cùm hominis animum, aut aliquem alium, non esse immortalem ostenderimus, ne ceteros quidem esse, generatim atque vniuersè à nobis ostensum erit. Sed si quæratur,[c] sitne aliquis animus, vt puta hominis, immortalis: quæstio erit in parte generis, nos autem similiter loco ex hypothesi vtemur. Quare si [d] sumamus, si aliquis sit ĩmortalis, omnes etiã alios ĩmortales esse; aliquẽ verò esse ĩmortalẽ probemus, atq; ex hoc omnes alios ĩmortales esse sumamus: animum quoq; hominis esse ĩmortalẽ probauerimus, cuius cõtrariũ in quæstione positũ erat. Quòd si cõtrà ostendamus, aliquẽ nõ esse ĩmortalẽ, nec vllum etiã aliũ immortalem esse, habebimus: ex quo colligemus, ne hominis quidem, de quo quærebatur. ¶ Perspicuum autem est, eum qui ita demonstrat, necessariò de vniuerso genere rem demonstrare, quamuis in parte generis quæstio allata sit: neque enim aliter vti licet argumento ab hypothesi ducto, cùm enunciare oporteat, si cui conueniat, etiam omnibus pari ratione cõuenire. [*Si igitur res alicui conuenire ponatur*: id, quod his verbis traditur, eiusmodi est. Si, quod refellere volumus, affirmans in parte ponatur: tunc eniti debemus, vt, loco ex hypothesi vtentes, alicui non conuenire ostendamus; cùm scilicet id prius petiuerimus, vt, si alicui non conuenire ostendatur, ne vlli quidem, ostensum sit: ex quo illud tolletur, alicui conuenire, quod tollere instituimus. Quòd si alicui non conuenire ponatur: contrà faciendum est, vt scilicet id, quod in parte affirmat, comprobemus, & ex eo hypothesis vi sumamus, conuenire omnibus: ex quo illud euertetur, alicui non conuenire. ¶ Illud verò quod adiunxit, *perspicuum autem est eum qui hypothesi vtatur, quæstionem efficere generalem, cùm fuerit in parte posita*, idem valet ac si dicatur: is qui hypothesi vtitur, hypothesis vi ex partibus generis genus vniuersum demonstrat, quamuis propositum sit partem refellere, cùm quæstio in parte allata esset.

ἐάν ἡ ψυχή τις ἀθάνατος· sic legendum est, ut nemo non videt, et ut cod. Med. confirmat.

[d] Sumere, ut apud Græcos λαμβάνειν, valet ponere aliquid sibi, & suo quasi iure tanquã firmũ certumque sumere. Lucret. li. V. Illud in his rebus ne arripuisse rearis Memmi, quòd terrã atque ignem mortalia sumpsi Esse. hinc sumptiones apud M. T. idest λήμματα.

Ἀδιορίστου μὲν οὖν ὄντος τοῦ προβλήματος, μοναχῶς ἀνασκευάζειν ἐνδέχεται. οἷον εἴ τις ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, ἢ μὴ ἀγαθόν, καὶ μηδὲν ἄλλο προσδιόρισεν. εἰ μὲν γὰρ τινὰ ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, δεικτέον καθόλου ὅτι οὐδεμία, εἰ μέλλει ἀναιρεῖσθαι τὸ προκείμενον. ὁμοίως δὲ καὶ εἴ τινα ἡδονὴν ἔφησε μὴ εἶναι ἀγαθόν, δεικτέον καθόλου ὅτι πᾶσα. ἄλλως δ' οὐκ ἐνδέχεται ἀναιρεῖν. ἐὰν γὰρ δείξωμεν, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν, οὔπω ἀναιρεῖται τὸ προκείμενον. δῆλον οὖν, ὅτι ἀναιρεῖν μὲν μοναχῶς ἐνδέχεται, κατασκευάζειν δὲ διχῶς. ἄν τε γὰρ καθόλου δείξωμεν, ὅτι πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθόν, ἄν τε ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ ἀγαθόν, δεδειγμένον ἔσται τὸ προκείμενον. ὁμοίως δὲ κἂν δέῃ διαλεχθῆναι, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν, ἐὰν δείξωμεν ὅτι οὐδεμία ἀγαθόν, ἢ ὅτι τις οὐκ ἀγαθόν, δεδειγμένοι ἐσόμεθα ἀμφοτέρως, καὶ καθόλου, καὶ ἐπὶ μέρους, ὅτι ἐστί τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν.

Cum autem quæstio fuerit interminata, vno modo refelli poterit: vt si quis voluptatem bonum esse dixerit, aut non esse bonum, neque aliud præterea quicquam addiderit. Nam si voluptatem aliquam bonum esse dixerit, nullam esse omnino probandum est, si res proposita debet euerti. Item, si voluptatem aliquam nõ esse bonum enunciarit, generatim atque vniuersè mõstrandum est, omnem esse. Aliter autem non licet euertere: nam si voluptatem aliquã non esse bonum, aut [a] esse doceamus, nondum proposita res euersa est. Constat igitur, rem infirmari vno

[a] Hoc abũdat, vt Alex. in suo cõment. testatur.

fert, quæ in parte negat, ostendens illam ea non destrui, quæ in parte affirmat: quasi hoc perspicuum factum esset ex eo, quod de affirmante in parte tradiderat. [Confirmari autem vtramque quęstionem, quæ sic in parte generis proponatur, duobus modis posse testatur: siue enim generaliter ostendamus omnẽ voluptatem esse bonum, siue priuatim aliquã, vtroque modo quæ in parte affirmat, à nobis confirmata erit. Similiter autem & quæ in parte negat, cõfirmabitur, cùm scilicet si doceatur nullam voluptatem esse bonũ (nam si nulla, nè aliqua quidem) tùm etiam si aliqua non erit bonum: vtroque enim modo demonstratur, aliquam voluptatem non esse bonum.

Διωρισμένης δὲ τῆς θέσεως οὔσης, διχῶς ἀναιρεῖν ἔσται. οἷον εἰ τεθείη τινὶ μὲν * ἡδονὴ ἀγαθὸν εἶναι, τινὶ δὲ οὐ. εἴτε γὰρ πᾶσα δειχθείη ἡδονὴ ἀγαθὸν, εἴτε μηδεμία, ἀνῃρημένον ἔσται τὸ προκείμενον. εἰ δὲ μίαν μόνην ἔφησεν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, τριχῶς ἐνδέχεται ἀναιρεῖν. δείξαντες γὰρ ὅτι πᾶσα, ἢ ὅτι οὐδεμία, ἢ ὅτι πλείους μιᾶς ἀγαθὸν, ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸ προκείμενον. ἐπὶ πλεῖον δὲ τῆς θέσεως διορισθείσης, οἷον ὅτι ἡ φρόνησις μόνη τῶν ἀρετῶν ἐπιστήμη, τετραχῶς ἔστιν ἀναιρεῖν. δειχθέντος γὰρ, ὅτι πᾶσα ἀρετὴ ἐπιστήμη, ἢ ὅτι οὐδεμία, ἢ ὅτι καὶ ἄλλη τις, οἷον ἡ δικαιοσύνη, ἢ ὅτι αὐτὴ ἡ φρόνησις οὐκ ἐπιστήμη, ἀνῃρημένον ἔσται τὸ προκείμενον.

* *Sic habent antiqua exẽplaria: quæ lectio videtur esse politior & elegãtior, eamque sequitur uetus interpres.*

Quòd si thesis sit terminata, duobus modis euerti poterit: vt siquis posuerit aliquam voluptatem esse bonum, aliquã nõ esse: siue enim doceatur, omnem voluptatem esse bonum, siue nullã, res proposita euersa erit. Quòd si vnam tantummodo voluptatem bonum esse dixerit, tribus modis eam confutare licet: nam si doceamus, vel omnem voluptatem esse bonum, vel nullam, vel plures vna, id quod propositum fuit, à nobis confutatũ erit. Si verò thesis magis sit terminata, vt prudentiam solam ex virtutibus esse scientiam, quattuor modis labefactari poterit: nã si doceatur, aut omnem virtutem esse scientiã, aut nullã, aut etiã aliã quãpiã, verbi causa iustitiam, aut ne ipsam quidem prudentiam esse scientiam, labefactatum erit id quod propositum fuit.

76 Quæstionem appellat thesim, idest propositum, inquit autem, si quæstio sit terminata, hoc est, si in quæstione huiusmodi sit terminatio, nũ aliqua voluptas bonum, aliqua non bonum. Sed illud mihi videtur addidisse, ***aliqua non bonum***, non vt id omnino debeat in propositione poni, sed vt indicet, propositionem in parte non esse per se veram solùm, sed ob vniuersam, cui subiicitur, neque in terminatè & infinitè: nam si duę propositiones essent positæ, vna duobus modis non euerteretur: sed cùm duæ essent, eæ à duabus tollerentur, affirmans quidem ab illa, quæ in vniuersum affirmat; negans verò ab illa, quę in vniuersum negat. Duobus igitur modis (inquit) euerti potest quæstio de parte generis sic terminata ac definita: siue enim doceatur omnem voluptatem esse bonum, siue nullam, tollitur illud quod dicitur, aliquam esse, aliquam non esse; nam si nulla sit, non potest aliqua quidem esse, aliqua autem non esse. [Quòd si ita sit terminata, num vna tantùm voluptas bonũ, tribus modis refutari poterit: siue enim omnis voluptas bonum esse ostendatur, siue nulla, euertitur id quod dicitur, vnam tantùm esse; nam si nulla sit bonum, ne vna quidem tantummodo erit: prętera si plures quàm vnã bonum esse ostendamus, hoc etiam modo eãdem quæstionẽ profligabimus. [Si autem quæstio de parte generis magis sit terminata,

ac definita, atq; ita se habeat, sit ne sola prudẽtia ex virtutibus sciẽtia, quattuor modis eam licebit impugnare: nã si probemus aut omnẽ virtutem scientiã esse, aut nullam, aut etiam plures, verbi causa iustitiam, nõ autẽ solam prudentiã, aut ne ipsam quidem prudentiam esse scientiam, cùm scilicet aliæ quædam virtutes sint, impugnatur id quod positum fuit. Si ponatur præterea, tres tantùm virtutes quasdam esse sciẽtias, id[a] quinque modis instituta methodo ac ratione profligari poterit: cùm scilicet si doceamus omnem virtutem scientiam esse, tùm si nullam, tùm si plures, tùm si pauciores, tùm si illas tres non esse, quæ in proposita quæstione nominatæ erant. ¶De hoc autem quæstionum genere Theophrastus quoque in extremo libro de affirmatione sermonem habuisse videtur.

[a] Quò magis quæstiones singulares definiuntur, eò plures nobis argumentationes occurrũt ad eas impugnandas & euertendas.

χρήσιμον δὲ καὶ τὸ ἐπιβλέπειν ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ὑπάρχειν ἢ μὴ εἴρηται, καθάπερ ἐν τοῖς καθόλου προβλήμασιν.

Vtile autem est etiam singula inspicere, quibus aliquid conuenire, aut non conuenire dictum sit, quemadmodum in quæstionibus generalibus & vniuersis.

77 Quod in secundo libro de generalibus quæstionibus agens præcipiebat, vt proposita quæstione singula inspicerentur, aut ea quæ generibus subiiciuntur; &, si nulli reperiretur conuenire id, quod omnibus conuenire positum est, cùm multa in medium allata fuerint, [a] sumerẽtur nulli conuenire; aut, si illud multis videretur conuenire, statueretur omnibus, vel obiiceretur in quo res non se sic habeat: idem faciundum esse inquit in quæstionibus, quæ de parte generis afferuntur; hoc enim intellexit, cum dixit, *quibus aliquid conuenire, aut non conuenire dictum sit*. Quare si positum sit aliquam voluptatem esse bonum, singulæ voluptates inspiciendæ sunt, quemadmodum & si generaliter positum esset, omnem voluptatem esse bonum. ergo si in eiusmodi inspectione comperiamus aliquam voluptatem esse bonum, id, quod propositum fuit, à nobis ostensum erit. Quòd si in multis non ita se rem habere animaduertamus, tunc enunciabimus nullam omnino esse bonum; atque hoc modo quæstio, quæ de parte generis proposita est, à nobis euersa erit. Constat igitur & hoc præceptum commune esse priuatis ac singularibus quæstionibus.

[a] Vnde Cicero 1 Partit. inquit. Accedere autem oportet ad singula: sic vniuersa frangentur.

ἔτι δὲ ἐν τοῖς γένεσιν ἐπιβλεπτέον διαιροῦντα κατ' εἴδη μέχρι τῶν ἀτόμων, καθάπερ πρότερον εἴρηται. ἄν τε γὰρ παντὶ φαίνηται ὑπάρχον, ἄν τε μηδενὶ πολλὰ προενέγκαντι, ἀξιωτέον καθόλου ὁμολογεῖν, ἢ φέρειν ἔνστασιν ἐπί τινος οὐχ οὕτως.

Præterea in generibus inspiciendum est, diuidendo per species vsque ad indiuidua, vt antea dictum fuit: siue enim in toto genere inesse appareat, siue in nulla generis parte, cum multæ afferuntur: petendum est, vt generaliter concedat, aut obiiciat in qua parte non ita se res habeat.

78 Id quoque in [a] secundo libro de generalibus quæstionibus tradebatur: nempe, in quibus quæstionibus generale quidpiam sumptum sit, faciendam esse illius diuisionem in species; ac deinde in iis, quæ speciebus subiiciuntur, & ad indiuidua vsque considerandum, an vnicuique eorum conueniat id, quod positum est conuenire generi in quæstione sumpto. Quare si sit quæstio, sit, nec ne sit eadẽ scientia contrariorum: quia contraria multis modis accipiuntur, præcipiebat vnumquodque ipsorum separatim sumendum esse, ac deinceps ea separatim colligenda, quæ vnicuique subiiciuntur; postea verò videndum, an in singulis eorũ eadem esset scientia: id enim vtile erat tùm ad infirmandum, tùm ad confirmandum.

[a] Loco 2.

dum. Quod igitur in generalibus & vniuersis, idem in priuatis ac singularibus quæstionibus faciundum esse inquit, vbi quidpiam generale in eis sit. Si quæratur exempli gratia, sit ne aliquorum contrariorum eadem scientia, cõtraria similiter dispertiẽda sunt, eaque singillatim, & quæ illis subsunt, inspiciẽda. Ac si in multis quidem rem ita se habere constiterit, quæstio confirmanda erit, perinde ac omnibus generatim id conueniat, quod alicui ipsorum conuenire positũ est. Quòd si in multis rem aliter se habere perspiciatur, horum ope petendum est, vt nulli conuenire concedat: atq; hoc modo quæstio, quæ in parte affirmat, refellenda erit. Similiter autem siquis dicat virtutem esse scientiam, virtutes distribuendæ sunt, primùm quidem in eas quæ ad rationem, & in eas quę ad mores spectant: deinde morales separatim, itemque quæ in ratione & intelligentia positæ sunt: ac si ostendamus eas, quæ semper in medium afferuntur, nõ esse sciẽtias, generatim sumendum est nullam; atque ita frãgendum illud quod dicitur, aliquam esse scientiam. ¶ Hic autem locus non multùm discrepat à proximo superiore: pręter quàm quòd hic genus in species primùm distribuendum esse monet, tum ordine & via progrediendo ad species, ad singula perueniendum; ille autem, quamuis id quod sumitur, genus non sit, sed cõmune quidpiam, ad ipsa statim indiuidua, quæ sub illo sunt, respiciendum esse pręcipit.

Ἔτι ἐφ' ὧν ἐστὶ ἢ εἴδει ἢ ἀριθμῷ διορίσαι τὸ συμβεβηκός, σκεπτέον, εἰ μηδὲν τούτων ὑπάρχει. οἷον ὅτι ὁ χρόνος οὐ κινεῖται, οὐδέ ἐστι κίνησις, καταριθμησαμένων πόσα εἴδη κινήσεώς ἐστιν. εἰ γὰρ μηδὲν τούτων ὑπάρχει τῷ χρόνῳ, δῆλον ὅτι οὐ κινεῖται, οὐδέ ἐστι κίνησις. ὁμοίως δὲ καὶ ὅτι ἡ ψυχὴ οὐκ ἀριθμός, διελομένων ὅτι πᾶς ἀριθμὸς ἢ περιττὸς ἢ ἄρτιος. εἰ γὰρ ἡ ψυχὴ μήτε περιττὸν, μήτε ἄρτιον, δῆλον ὅτι οὐκ ἀριθμός. πρὸς μὲν οὖν τὸ συμβεβηκὸς διὰ τῶν τοιούτων, καὶ οὕτως ἐπιχειρητέον.

a Item, quibus in quæstionibus aut specie aut numero diuidi potest accidens, videndum est, an nihil horum cõueniat: ut tempus non moueri, neque esse motũ, cùm enumerauerimus, quot sint genera motus. Nam si nullum eorum tempori conuenit, tempus non moueri, neque esse motum, perspicuum est. Similiterque animum non esse numerum, diuisione adhibita, omnem numerum aut parem esse, aut imparem: nam si animus neque par, neque impar sit, constat non esse numerum. Ac ad accidens quidem eiusmodi locis, atque hunc in modum argumentandum est.

a Hoc quod traditur, respondet ei, quod in II. libr. loco 12 docuit his verbis. Quoniam autem de quibus dicitur genus, &c.

79 Cùm superius docuisset, in quęstionibus quæ ad accidens pertinẽt, tùm vniuersis, tùm singulis, diuidendum esse terminum subiectum, ac si generalis sit, in species ad indiuidua vsque: nunc de eo qui attribuitur, & accidere dicitur, verba facit: id autem quod præcipit, in quæstionibus vniuersis iampridem docuit. Quamobrem & in priuatis ac singularibus, in quibus id fieri posit, terminum qui attribuitur, vel specie vel numero diuidendum ac distribuendũ esse inquit; postea verò videndum, num quid eorum, quę ex diuisione sumpta fuerint, subiecto conueniat: siquid enim eorum conuenire subiecto reperiatur, quæstio de parte generis confirmata erit; si nihil, infirmata. Si quæratur exempli causa, vtrum moueatur tempus, nec ne: quia motus multis modis accipitur, diuidenda ac sumenda sunt genera motus. Cùm igitur omnis motus aut ad locũ pertineat, aut ad quantitatem, aut ad qualitatem, singuli sumendi sunt: quærendum est autem, num aliquo motus genere tempus moueri posit. Quare si perspiciatur nõ

moueri ex loco, cùm illud quod non manet, sed fluit, locum mutare nō possit; neque ex magnitudine, quandoquidem motus etiam ex magnitudine rei permanentis est; neque item ex qualitate, aut alio quopiam motionis genere: tolletur illud quod dicitur, tempus moueri. Sed si quæratur, sit ne motus tempus, quæstio euadet generalis: motum autem non esse ostendetur, cùm nec ad locū, nec ad alterationem, nec ad quantitatem attineat: nam si horum aliquis esset, omne id quod est in tempore, esset in aliquo horum motu, eodem quidē & cōtinuo. [Similis autem ratio valet in animo, si quæratur, vtrum moueatur, nec ne: quin etiam si quæratur, sit, nec ne sit numerus quidam animus. Quia igitur omnis numerus aut est par, aut impar; si animus nec par, nec impar sit numerus, nullo modo erit numerus. Atque hæc quidem est diuisio generis in species. [Erit autem in indiuidua, si diuidamus vtrumque numerum in suos singulos numeros. Quare si par, erit aut duo, aut quattuor, aut sex, aut octo, aut decem; si impar, aut tria, aut quinque, aut septem, aut nouem: sed absurdum est dicere, animum esse aliquem eiusmodi numerum. quare animus nō erit aut par, aut impar numerus: ergo nec numerus omnino. [Videtur tamē ipse Aristoteles, cum exempla adponit, de quęstionibus vniuersis, non item de singulis mentionem facere.

HAEC, QVAE A NOBIS OMISSA SVNT, AD scribas qui legis, ad oram paginarum, quæ sunt notatæ numeris.

pag. ver.

.7 46 Sic etiā magis fugienda est intemperantia quàm incōtinentia, quòd illa sit insanabilis, & similis aquæ inter cutem & tabi; hæc sanabilis, & similis morbis comitialibus, teste Aristotele VII. lib. Ethic. cap. VIII. Item, incontinentia quæ ex natura, quàm quæ ex consuetudine cōtracta est: difficilius enim mutatur natura, quàm consuetudo, eodem auctore libro citato cap. x.

10 7 Huc spectat quod scribit M. Tull. in Topicis. Tum opponitur scripto voluntas scriptoris: vt quæratur, verba ne plus, an sententia valere debeat.

12 11 Adde quòd neque antiqua tralatio ea reddidit.

18 14 Cum eo facit vetus interpres.

22 5 Sed & antiqua tralatio cùm dicat, superat, ὑπάρχει habuisse videtur.

37 8 ἀναγκαιοτέρα. sic habet cod. Abbat. Flor. quem sequitur antiqua tralatio: nā reliqui, quos vidimus, præterquā Parisien. & Basilien. recēter impressi, habent ἀναγκαία.

4447 Vetus quoque interpres non exprimit.

55 11 Quare Cicero in Parad. contra voluptatem disputās inquit. Quicquamne bonum est, quod nō eum, qui possidet, meliorem facit? & cet.

Varietas quarundam lectionum ex antiquissimo & fidelissimo codice Abbatiæ Florent. cuius auxilio nonnulla in Aristotele castigauimus.

5 19 ἐπὶ τούτων. *optimus liber* ἐπὶ τοιούτων *habet: quod sanè magis placet.*

5 20 ὁπότερον. *Idem,* ὃ πρότερον. *quæ lectio in alijs quoque codicibus retinetur: antiqua autem tralatio priorem sequitur.*

5 20 τυγχάνει αὐτῶν ὑπερέχον. *Idem,* τυγχάνει αὐτῶν ὑπεροχὴν ἔχον. *quæ scriptura uidetur elegantior, et olet nescio quid Attici sermonis.*

Typographi errata, quæ nos, dum omni auxilio destituti multas difficultates exorberemus, fugerunt, sic corrige.

pagina	versus		
4	3	ab accidenti	ex accidente
4	21	inter se conferũtur;	conferuntur;
12	3	οἰκεῖαν	οἰκείαν
14	41	ὧς	ὡς
15	39	ἐτερον	ἕτερον
18	5	poterit,	potest,
20	6	inatam	innatam
22	12	αἱ αἱρετό	αὖ αἱρετό
27	2	φοβερώτερόν: ἐστιν.	φοβερώτερόν ἐστιν.
29	4	ex Cicerone reddidimus.	ex Cicerone in lib. de Vniuersi. reddidimus.
32	44	egrotat	ægrotat
34	9	Vigilias	Vigilas
34	15	& sequuntur.	& quæ sequuntur.
42	28	timiditate & ĩmanitatẽ	timiditate, & immanitatem
45	44	laboriosor	laboriosior
46	38	cicumstantibus	circumstantibus.
47	38	in ambulatio	inambulatio
70	10	de rebus fiebat	rerum fiebat

Guido Seruidius Præpositus & Vicarius generalis Florentiæ vidit, & imprimendi potestatem, cùm nihil à fide aut religione alienum pertractet, etiam concesit. Non. Septemb. 1569.